



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

882
P83

A 861,378

JAN 7 1893

198

DE COMOEDIAE ATTICAE PRIMORDIIS
PARTICULAE DUAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XVII. M. MAJI A. MDCCCLXXXIII

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

JOSEPHUS POPPELREUTER

RHENANUS.

ADVERSARI ERUNT:


F. WELLMANN, CAND. PHIL.

H. BUNGERS, CAND. PHIL.

W. EBEL, CAND. MUN. SCHOL.

BEROLINI 1893.

TYPIS ULLSTEINI.



88
P83




198

IOHANNI
HUBERTO

FRATRIBUS DILECTISSIMIS

S.



Ex picturis vasorum fictilium, cum iam singula eorum genera ad satis certas aetates ab archaeologis relata sint, quantum fructus capi possit ad illustrandas res scenicas antiquissimas F. Duemmler ostendit (Mus. Rh. XLIII p. 355. sq. »Skenische Vasenbilder«). Quam iniiit vir ille doctus rationem, eam ut persequar hac dissertatione, ita mihi proposui, ut tenebris, quibus comoediae Atticae primordia tenentur, lucem aliquam afferre conari velim ex vasis quibusdam antiquissimis, nigris figuris ornatis, quae minus expresse quam oportuit ad comoediae prima incrementa pervestiganda a viris doctis adhibita sunt. Altero loco mihi est propositum in Aristophanis quae exstant fabulis significantius, quam adhuc factum est, notare certas quasdam partes, quae mihi ad comoediae Atticae exemplar antiquissimum recte reficiendum permagni momenti esse videntur.

CAP. I.

I.

Cecil Smith, cum picturam vasculi in museo Britannico servati ex oblivione vindicaret (Journal of Hell. Studies Vol. II. p. 309. Plat. XIV) de archaeologia scenica optime meruit. Adiecit alteram simillimam quandam picturam, quam ex Gerhardi collectione, quae inscribitur »Trinkschalen«, (Pl. XXX. fig. 1—3), iterum pingendam curavit (l. c. fig. A. 1, et A. 2), qua pictura ornatur vasculum in museo Berolinensi servatum sub no. 1830. Priusquam denuo de monumentis illis quaeram, quae in iis picta videam, mihi erit describendum.

Amphora musei Berolinensis no. 1830 (Furtwaengler) 0,218 m altit., 0,46 m circ., quam sub fig. A. 1, et A. 2, Cecil Smith l. c. posuit, in altero latere habet picturam tres figuras exhibentem. In dextra parte tibicen palliatus tibiis canens incedit ad dextram conversus. Facies persona carens, ut mihi videtur, vel partim personata, φορβειάν habet; et in mento et in fronte lineam vides rubro colore ductam, quarum alteram cristam, alteram barbam quis putet. Non ego, quid effingere voluerit pictor, pro certo diiudicem. Tibicinem duae quaedam figurae ad exemplum nescio quorum animalium personatae sequuntur eum in modum obvolutae, ut ex informibus et vastis palliis talaribus capita aegre promineant. Pennis ni fallor tribus summa capita ornata sunt; ex mentis dependent lineamenta, quae habent speciem barbae; et pennae et barbae, quas dico, rubro colore effectae sunt. Miram in utroque choreuta, quod nomen illis personatis indere mihi liceat, vides faciem: supra crassam buccam oculus puncto non maior conspicitur; labra aperta ac porrecta, naso longitudine paria; frons ad cristae similitudinem comparata videtur, neque minus in tibicinis fronte talis cristae leve vestigium deprehenditur. Alterius choreutae facies et crista caret et os habet alium in modum conformatum, ita ut suis ori simile videatur.

Quamvis pallia tam vasta ab avium personis abhorreant, tamen frustra quae alia animalia picta sint, circumspicio. Et ex cristis et ex barbibus utrisque rubris, qui Gerhard l. c. sententiam proferre possit gallos repraesentari, facile intelligo, et ipse Smith l. c. p. 310 esse avium capita censet. Equidem omnem dubitationem eximi arbitrator, si choreutas ad avium qualiumcunque exemplar personatos nonnisi palliis illis vastis expeditos (ἠἀποδιῦντα) saltaturos esse statuemus.

In altero latere vas nihil exhibet nisi hominem schemate cursoris archaice delineatum, clavam tenentem.

Alterum vas, quod ex caligine in lucem protulit Cecil Smith, servatur in museo Britannico, oenochoe anno 1835 in Italia reperta. Una ornatur vasculum pictura in fronte collocata (Journ. of Hellen. Stud. Pl. XIV B. 1). In sinistra parte aspiciamus tibicinem ad dex-

tram conversum, pallio indutum, tibiis canentem. In mento eius linea rubra ducta est sicut in prioris picturae tibicine. Saltantium figurae depictae sunt duae, ad dextram directae, faciebus ad sinistram in altum retortis. In genibus ternae, in capitibus quinae eaeque rubrae pennae; ad lacertos, qui in altero saltatore tenuissima linea picti sunt, alae alligatae. In mentis singulae lineae ipsae quoque rubrae ad exemplum galli barbae effectae conspiciuntur. Lineae parvulae vel punctilla, quibus utriusque corpus tegitur, plumas sine dubio indicant. Inter crura caudam pictor effingere voluisse videtur; in altero choreuta ligamen oculis cernes, quo cauda circum coxas vincta est. Ex lacertis tenuissimis lineis delineatis et ex cauda usque ad coxas conspicua pictorem alteram figuram a tergo repraesentare studuisse non iniuria quis colligat.

Cecil Smith rationis, qua picturas illas sibi considerandas esse putavit, summam fecit hisce verbis, l. c. p. 311: »Although the vases before us are hardly so late as the date of Aristophanes, they may, I think, be shown, to throw valuable light in certain points of detail on the drama of the best known of Athenian comedians.« Quam quaerendi rationem iniisse etsi non satis habebimus, tamen digna illa videtur, quam aliquamdiu sequamur.

Wieseler in libello, qui inscribitur »Adversaria in Aristophanis Aves et Aeschyli Prometheus«, ex nonnullis versibus, qui occurrunt in Aristophanis Avibus, probare conatur *λόφωσιν* pertinere ad sandalia, non ad cristas choreutarum. Non singulos locos retracto, sed cuiuscunque *λόφωσις* dubiae significationis videtur verbum, eum iubeo contemplari figurarum nostrarum capita vastis pennis conspicua: en habes *λόφωσιν* (cf. Alb. Müller, Griech. Bühnenaltertümer, p. 257 adn. 3).

Musicos in Avibus personas gestasse constat. Figuris nostris, quousque musici personati esse potuerint, illustratur. Pallium in musicis usitatum non deest, neque desunt tibiae magnae geminae. Wieseler, l. c. p. 52, pro rostro tibias musicis fuisse contendit. Cui libet, vasculo Berolinensi probari hanc coniecturam dicat; in oenochoe vero musei Britannici ego puto tibicinem rostri speciem

gestare, illo autem vasculo Alberti Muelleri, l. c. p. 273, potius opinio firmatur: »der νόραξ ἐμπεφορβηωμένος hatte wohl nur eine Halbmaske«, ita ut φορβειᾶ persona, in maiore parte faciei perforata, ad aversam capitis partem alligata sit.

Quamquam denique minime est certum, quemadmodum comparatus fuerit locus, in quo actiones illae fiebant, et quantum similitudinis ei cum orchestra posteriorum aetatum fuerit, tamen tibicinem sine ullo tegimine iuxta choreutas saltantes stare respicere iuvabit. Quare recte Wieselerum, l. c. p. 71, contendere puto, quod musici iuxta saltantes stent, in theatro Attico non offendere spectatores.

Hic deinceps tertia, quam tractare mihi propositum est, pictura apte asseretur. In amphora invenitur, quae servatur in museo Berolinensi sub no. 1697. (Furtw.) 0,33 altit., 0,695 circ., Romae emptā a. 1846, secundum Panofkam Caeretana. In sinistra parte ad dextram conversus tibicen stat pallio indutus, corona ornatus, personam non gestans, tibiis canens. Juxta eum inscriptio legitur sensu carens

E I O X E O X E

(cf. no. 1686 mus. Berolin.). Ad tibicinem conversi tres homines barbati, equorum personis singuli induti, ex quorum collis infra capita humana apparent. Chitonibus utuntur brevibus adstrictis, ad quas caudae equinae alligatae sunt. Manus sublevandi oneris causa genibus sunt impositae. Insident enim in tergis singuli equites galeis Corinthiis induti et thoracibus, ex quibus infra breves prominent chitones adstricti; bracchia et crura nuda. Sinistris manibus ad equorum cervices appositis dextras quasi equos impulsuri tollunt. Primus in galea habet duas quae mihi videntur pennas, alter falcis speciem vel sinus lunati, tertius circulum cum inscripta cruce ad priscae litterae ⊗ speciem (Furtwaengler: »Rad mit 4 Speichen«). De pingendi arte in vasculo adhibita observandum est, extrema lineamenta et margines vestium et thoracum esse incisa, musici pallium rubro colore lineatum et rubris punctillis coopertum, chitonas iuvenum equorum vice fungentium rubro colore totos pictos esse, in chitonibus equitum rubra inesse punctilla. (cf. fig.)



THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

Alterum vasculi latus nympharum et satyrorum exhibet ordinem, qui ad tibicinis satyri cantum saltaturi sunt. (Berl. Akad. 1851, Tab. I, 5.)

Mire de ea pictura Panofka (Abhandl. der Berl. Akad. 1851 p. 23 sqq.) ratiocinatus est, pictorem ante oculos posuisse »den durch eigentümliche Kriegslist errungenen Sieg der Krotoniaten über die Sybariten« (Athen. XII 520d.). Gerhard (Neu erworbene Denkmäler der Kgl. Vasensammlung zu Berlin Nr. 1928) significari putavit »eine obscöne Mummerei dreier Kentauren, welche durch drei geharnischte und schmuckreich gehelmte Jünglinge mit ebensoviel gebückten und ihnen als Reitpferd dienenden Männern gebildet ist.« Furtwaengler in catalogo explicatione abstinuit et addidit »Mummenschanz«. Carolus Robertus, esse chorum equitum et ad primordia comoediae pertinere figuras me docuit. — Priusquam quae de antiquissima comoedia doceat pictura exponam, haec quoque secundum rationem Smithianam ad illustrandas res scenicas Aristophaneas uti e re erit. Causae enim mihi praesto sunt haud ita leves, ex quibus etiam temporibus Aristophanis in Equitibus chorum equitum simili habitu in scenam prodiisse veri non videtur dissimile. Oculis collustranti mihi picturam in mentem venit antepirrhematicis parabasis Equitum v. 595—610, quod hic adscribo:

*Ἄ ξένισμεν τοῖσιν ἵπποις, βονλίμεσθ' ἐπαινέσαι.
 ἄξιοι δ' εἶς' εὐλογεῖσθαι· πολλὰ γὰρ δὴ πράγματα
 ξυνδιήνεγκαν μεθ' ἡμῶν, εἰσβολάς τε καὶ μάχας.
 ἀλλὰ τὰν τῇ γῇ μὲν αὐτῶν οὐκ ἄγαν θαναμάζομεν,
 ὡς ὕτ' εἰς τὰς ἵππαγωγούς εἰσεπήθων ἀνδρικόως,
 πριάμενοι κώπωνας, οἱ δὲ καὶ σκόροδα καὶ κρίμμυνα.
 εἶτα τὰς κώπας λαβόντες ὡσπερ ἡμεῖς οἱ βροτοὶ
 ἐμβαλόντες ἀνεβράξαζαν, ἵππαπαπαῖ, τίς ἐμβαλεῖ;
 ληπτέον μᾶλλον· τί δρωμέν, οὐκ ἐλᾶς, ὦ σαμφύρα;
 ἐξεπήθων δ' ἐς Κόρινθον· εἶτα δ' οἱ νεώτατοι
 ταῖς ἵπλαῖς ὤρυττον ἐνὰς καὶ μετῆσαν στρώματα.
 ἦσθιον δὲ τοὺς παγούρους ἀντὶ ποίας Μηδικῆς,
 εἰ τις ἐξέρποι θύραζε, καὶ βυθοῦ θηρώμενοι·*



ωστ' ἔφη θέωρος εἰπεῖν καρκίον Κορίνθιον·
 δεινὰ γ' ὧ Πίσειδον, εἰ μὴδ' ἐν βυθῶ δυνήσομαι,
 μήτε γῆ μήτ' ἐν θαλάττῃ διαφυγεῖν τοὺς ἵππείας.

In quibus verbis legendis saepe dubius haeseram, leporis frustra specimen in iis investigans. Enumerantur res ab equorum natura tam alienae, ut haud ita facete iocari poetam animo sentirem. Adnotat scholiasta: *τοῖσιν ἵπποις· ἵνα μὴ εἴπῃ τοῖς ἵππεῦσι καὶ δόξῃ χαρίζεσθαι τῶ χορῶ*. Similia ab editoribus adnotantur, qui equos omnino non adfuisse volunt. Th. Kock: »Um dem Tadel«, inquit, »des Selbstlobes zu entgehen, überlässt der Chor das ganze Verdienst der That den Rossen, wodurch der Dichter zugleich ein treffliches komisches Motiv gewinnt.« At nihil salsi apponitur audientibus, si quis equos quaelibet perficientes facit, quae perficere nullo modo prorsus possunt. Nonne vero lepidissime poeta epirrhema illud invenit, si commilitones, quibuscum expeditione Corinthia equites victores perfuncti erant, equorum personis, quales vides in pictura nostra, obvolutos induxit? Opinionem vulgatam ex viginti quatuor equitibus chorum fabulae compositum fuisse abdicat Beer (Zahl der Schauspieler bei Aristophanes p. 30). Sed rationes, quas affert probaturus *γέροντας ἱλιαστὰς* fuisse, qui alterum chori cornu tenebant, ut intellegerem, frustra elaboravi. Locum, v. 242—245, ad verbum interpretatus Theod. Zielinski (Gliederung d. altattischen Komödie, p. 163 adn. 1.) ex verbis *ἔλατε* et *κονιορτὸς* a Demosthene servo adhibitibus suo iure concludit veris equis in orchestram invectos esse equites; nec minus prompte assentimur Bachmanno, qui (Berlin. Philolog. Wochenschr. 1888 no. 20 p. 616) Zielinskii opinionem ut absurdam quandam reiicit. Qualibus equis re vera equites usi sint, equidem pictura nostra doceor. Quae res mihi non minus confirmatur versu 272 *τὸ σκέλος κρηθάσει*, quae verba de equorum personis gestantibus dicuntur, quam verbis Cleonis v. 273 *ἔφ' οἴων θηρίων γαστριζομαι*. Dubito, num recte Zielinski (Gliederung p. 269) adnotet: »Das Folgende, 274—276 ff., ist dem Demosthenes zu geben, damit die Choreuten Zeit haben, abzusteigen, und die Rosse wegführen zu lassen.« Ex tergis commilitonum certe choreutae



descenderunt, quia, id quod tere supervacaneum est dicere, per totam comoediam hominem in tergo portare adulescentis viribus maius est, sed num ex scena recesserint equi personati, in dubio relinquo.

Etsi respondere ei quaestioni me nequire fateor, quo ordine disponi potuerint in singulis chori motibus, utrum equi alterum, equites alterum cornu tenuerint, an permixti utriusque partes sustinerint, tamen ex vv. 271 sq.

ἀλλ' ἐὰν ταύτη γε νικᾷ, ταυτῆι πεπλήξεται,
ἦν δ' ἵπεκκλίνει γε δευρὶ, τὸ σκέλος κυρηβάσει,

elucere mihi videtur in utroque hemichorio hoc loco adfuisse equos, ita ut tria distinguat poeta: aut aggredietur Cleon alterum cornu, aut aggredietur alterum — equitum manus eum attingent — aut, id quod tertio loco restat, ἵπεκκλίνει fugiens in tergum: tum equorum pedibus vexabitur, τὸ σκέλος κυρηβάσει¹⁾. In parabasi non invenio satis certa indicia, ex quibus concludam, quo ordine chorus dispositus fuerit. Et epirrhema et antepirrhema in utroque hemichorio equites adfuisse suo argumento videntur probare. Qua de re utcunque statues, in parodo comoediae quin habitu figuris illis antiquissimis simili chorus incesserit, ego non dubito²⁾.

2.

Jam vero mittamus quaerere, quid de re scenica posteriorum aetatum doceant monumenta. Smith, l. c. p. 309, oenochoen musei

¹⁾ Verbum νικᾷ non indiget correctione (Zielinski l. c. p. 269 adn. 1). Zielinski pro verbo νικᾷν suspicans verbum, quod significat „evadere“, vertit: „Wendet er sich dorthin, d. h. links, so wird er dort geschlagen werden; wendet er sich hierhin, so wird es ihm übel bekommen“. Sed propius ad verum accedet, qui ταύτη vertet „dort“ i. e. in illo cornu, cui opponitur ταυτῆι „hier“ i. e. in hoc cornu, quam qui secutus Z'm vertet ταύτη „dort-hin“. In verbis δευρὶ ἵπεκκλίνειν inest: post terga choreutarum evadere.

²⁾ In Metagenis Thuriopersarum fragmento 7 (Kock) legitur: τὶς τρόπος ἵππων; ἄς δ' ὀρχοῦνται τὸν βαρβαρικὸν τρόπον οἴντοι; Haec quoque in comoedia illa personatio repetita esse potuit, ita ut proverbium τὶς τρόπος ἵππων, de illa personatione adhibitum, per ridiculum adhiberetur?



Britannici ad annos 500—450 a. Chr. referendam esse censet. Quamquam vero vasculum mus. Berol. no. 1830, cuius pictura simillima est picturae vasculi Londinensis, propter pallia elegantius delineata optimo iure a Furtwaenglero insertum est vasorum generi, quod inscribitur »Späterer schwarzfiguriger Styl«, tamen, ne nimis recenti aetati utrumque tribuamus, nobis erit cavendum. Nam vasculi no. 1830 mus. Berol. forma et pedum delineatio, ratio denique pingendi oculos in vasculo Londinensi adhibita ad satis antiqua spectant tempora. Archaea vero ratione recentiore aetate perfectas eas picturas non suspicabitur, quicumque respexerit pictorum illorum sine dubio interfuisse, ut quam proxime ad naturam rei ante oculos positae in pingendo se applicarent. Quod si archaea pingendi ratione usi essent, ipsi sibi summas difficultates parassent. Vasculum autem mus. Berol. no. 1697, cuius pictura antiquissima ratione est perfecta, a Furtwaenglero in eorum numero est collocatum, quibus superscriptum est »Älterer schwarzfiguriger Styl, 6. Jahrhundert«. Si circa annos 520—480 a. Chr. tria illa vasa exorta esse dico, haud ita paucos archaeologos assentientes spero me habiturum esse.

Quousque ea aetate comoediam progressam fuisse monumenta testantur? Primum quidem ponere licebit, pictorem illum totum chorum ante oculos habuisse, ex quo aliquos choreutas electos una cum tibicine in vasculo depinxit. Quod si ita est, equidem monumentorum usus testimoniis, circa annum 500 a. Chr. actiones choricas Dionysias¹⁾ in Attica fuisse usitatas contendo tanto iam apparatu et personarum et vestitus choreutarum musicorumque, ut non posset fieri, quin publicum studium moverent. Quae actiones, si vis *κῶμοι*, tantam similitudinem cum comoedia Aristophanea exhibent ut ex iis comoediae Atticae elementum choricum prima sine dubio incrementa ceperit. E natura est rerum aliis quibusdam quaestionibus e monumentis nostris nihil responderi posse, nihil de genere saltationis, nihil quantum temporis commessantium actio expleverit. Ad personas

¹⁾ Recte C. Smith, l. c. p. 310, ornamentis hederaceis vim Dionysiam inesse dicit.



vero iuvat oculos rursus adiicere. In amphora mus. Berol. no. 1697 facies equitum certe sunt nudaе, qua de causa Panofka, l. c. p. 24, et ipse personas abesse arbitratus hancce profert opinionem: »dass der Mangel komischer Masken und Costüme von seiten der Krieger das Abbild einer Komödienscene kaum zulässt«. Chorum vero comicum depictum esse ex iis, quae supra exposui, sole est clarius, sed statuamus oportet personas illa aetate nequaquam postulari ad obtegendas choreutarum facies. Utrum pigmento fuerint oblitae illorum facies nec ne, pictor pro pingendi arte in tam antiquis vasis adhibita exprimere noluit vel non potuit. Ceterum musicus quoque persona est nudus. In amphora mus. Berol. no. 1830 et in oenochoe mus. Brit. personis artificiose fabricatis et musicorum et choreutarum capita operta sunt. Sub illa igitur tempora, quibus Thespis, Choe-rilus, Phrynichus, Aeschylus, si quae Suidae fides habenda est, in arte personas tragicas fabricandi alii alia innovabant, in comoedia vel comis Dionysiis magna personarum perfectio constabat. Colorum varietas, quam tragicis personis Aeschylum addentem facit Suidas (*προσωπεία δεινὰ καὶ χρώμασι πεχρισμένα*) comicas iamdudum ornatat personas.

At ea, quae de pristinis comoediae incrementis ex monumentis modo effecimus, repugnare iis, quae de tempore quo comoedia ad excultiorem artem progredi coeperit conici solent, nemo erit, quem in legendo effugerit. Philologi, cum comoediae antiquissimum exemplar apud animum reficere student, ad Aristotelis verba plerumque sese applicare solent, qui in Capite IV libri qui est de arte poetica, a phallophorum commensationibus exortam comoediam coniecit. Quam coniecturam ita interpretari solent, ut circa annos 520—480 minime eam apparatus scenici perfectionem comoediae tribuant, quae apparet in monumentis, de quibus quaerimus. Divini viri illam opinionem, si cum monumentorum testimoniis conciliari omnino non potest, abiicere nobis non dubitandum; nam ex vasculis per saeculorum ruinam miro casu conservatis testimonium novum ac omni coniectura superius tenemus manibus. Attamen, etsi temporis ratio,

qua viros doctos uti videmus, non est toleranda, Aristotelis illa sententia cum monumentis conciliari quodammodo potest.

Non mihi est in animo eorum turbae accedere, qui coniecturas alii aiias ediderunt, illud enucleaturi, quousque aut Acharnensium vv. 259—279 cum scholiis, aut Athenaei verba (XIV 622 c—d) idonea sint, quae Aristoteleam coniecturam illustrent, id est, quousque ex iis comoediae primigenae eluceat imago, nec sum quaesiturus, quo tempore rure in urbem translata sit comoedia, neque quatenus forma parabasis in phallicis iam constituta fuerit, iisque similia; ea satis atque affatim tractata sunt¹⁾. De Acharnensium phallico carmine assentior Bernhardyo (Litt.-Gesch. II 2. p. 509) et Bergkio (Litt.-Gesch. IV. p. 9), deesse ei dramatis elementum dicentibus. Quod Semus Delius apud Athenaeum (l. c. e—d) phallica quaedam describit, verbis usus parabasi propriis, ex animo suspicionem eiicere non possum illum grammaticum, qui Sicyone in urbe Dorica talia usitata fuisse dicat²⁾, a vero deductum esse cupiditate et studio Aristotelis sententiam interpretandi ita, quasi ex Doricis regionibus comoedia phallica orta esset³⁾. Phallicorum vero certo genere ante oculos posito, in quo quae similia erant comoediae antiquae invenit, Aristoteles ad illam opinionem adductus est. Quenam fuerint, si quaeris, ego certe saltationem et vellicandi adstantes

¹⁾ Eorum nomina, qui de comoediae origine scripserunt, confert Bernhardy (Litt.-Gesch. II 2. p. 509), eorum, qui de parabasi quaestiones ediderunt, con-gessit Arnoldt (Chorpartien bei Aristophanes p. 140).

²⁾ Eosdem dici phallophoros Athen XIV 621. sqq. atque 622. e—d ultro statuere licebit.

³⁾ Altercatio illa (Aristot. Poet. 1448 a. 30), utrum Dorienses, an Attici comoediae habendi sint inventores, grammaticorum animos ne magis turbaverit vereor, quam nobis ex operum eorum ruina cognoscere licet. Semi illam opinionem haud ita singularem fuisse Anthologiae Palatinae epigramma testatur XI 32 = ep. 2. III 3. Jac.:

*Μούσης νονθεσίην φιλοπαίγμονα εὔρητο Βάχχος,
ὃ Σικυῶν, ἐν σοι κῶμον ἄγων Χαρίτιον,
δὲ γὰρ ἔλεγχον ἔχει γλυκερώτατον ἐν τε γέλωτι
κέντρον χ'ὼ μεθ'ἔων ὅστων ἐσωφρόνισεν.*

Μούσι

spectatores usum in iis infuisse respondeam. Illud vero flagito et invenire gestio phallicorum genus, in quo certum personationis semen, unde chori comici personarum varietas nasci posset, latebat.

Hancce velim sequaris ratiocinationem: Monumenta, mus. Berol. no. 1830 et oenochoe mus. Brit., quam mirifice congruant cum iis, quae de Magnetis, antiquissimi poetae comici, arte ac poesi ex versibus Ar. Equ. 522 sqq. ¹⁾ efficiuntur, Smith, l. c. p. 313, optime observavit neque deliberatio ea vasculi no. 1697 mus. Berol. pictura non firmatur. Magnetem nihil fecisse nisi maiorum more chori personas ad animalium exemplaria conformatas induxisse ex monumentis eruere nos quidem non dubitabimus, ita ut perantiqua talia in Attica fuisse appareant. Qua re, si quis comparare nos iubet comoediae Atticae chorum theriomorphicum cum personis quibusdam, quae vel nostris temporibus et apud Germanos et apud alias gentes e prisca religione sunt reliquae (Mannhardt, Mythologische Forschungen S. 143 ff. »Perekopp«, »Loffrosch«), ea ratiocinatio figuris Magnetis aetate antiquioribus mire adiuvatur ²⁾.

Qua vero ne acquiescamus in re. Tria mihi videntur deprehendi, quae communia sunt phallicis Graecis cum nostratum more, quem supra memoravimus. Quorum primo loco noto saltationem immanem comicam. Atque hic non negligenda videntur illa, quae Edél. du Méril in libro, qui inscribitur »Histoire de la comédie ancienne« (vol. I, p. 72—81) exposuit. Qui vir doctus, quamquam in deliberando non eo processit ut chorum theriomorphicum Atticum ex eodem illo fonte derivandum esse sentiret, tamen bene meruit,

¹⁾ *πάσας δ' ἐμὴν φωνὰς εἰς καὶ ψάλλον καὶ περυγίζων καὶ λυδίζων καὶ ψηνίζων καὶ βαπτόμενος βατραχείοις.* Quae adnotat scholiasta autoschediastica. Certe autem *περυγίζων, ψηνίζων, βαπτόμενος βατραχείοις* ad chori habitum spectant; cf. Zieliński, Gliederung p. 241, qui *βαπτόμενος βατραχείοις* ad musicam artem non audet referre. Ac vix recte verterit „Vogelgesang und Wespen-summen“.

²⁾ Dielsium nostrum in collegio comparavisse chorum theriomorphicum comoediae Atticae cum personis a Mannhardtio l. c. descriptis ex amicis audiveram. Qua re ei gratias ago, quod deliberantem me maxime adiuvit.

quod in universum de naturae humanae vi comica primigena dissertans, ex multis gentibus luculenta exempla a viris doctis passim memorata collegit, quae abunde docent saltationem sub ipsa persona theriomorphica (cf. l. c. p. 77 adn. 1, 7. p. 78 adn. 4.) vel etiam tali persona non induta (cf. l. c. p. 76 adn. 5 »Hoppetvogel«) ad animalium immaniter saliendi exempla accommodare maxime ex naturalium hominum ingenio esse. Chorus quod eum usum arripuit, quis miretur in Atticis?

Ne omittas altero loco quod in Mannhardtii quoque exemplis vellicandi circumstantes (cf. p. 143) vel etiam carminibus probrosis cives castigandi ille occurrit usus (cf. l. c. p. 145): »Der Bâtonnier stimmte ein in jedem Jahre neu gefertigtes Lied mit 99 Couplets an, in welchem die Ereignisse und Skandalgeschichten der Gemeinde während des vergangenen Jahres durchgehechelt wurden. Das Original kam ins Gemeindearchiv, eine Abschrift in die Chambre des comptes zu Nantes«.

Tertio loco illud est respiciendum, quod et cultus phallicus et nostratum »Darstellung theriomorphischer Vegetationsdämonen«, quam viri docti dicunt, ab eadem priscae aetatis religione sunt repetenda. Cultus phallici igitur genus, in quo certum personarum semen latebat, tale quoddam fuisse, cui mos corpora et motus animalium imitandi inhaerebat, si quis suspicatur, num multum a vero aberraverit?

Quibus de causis quamquam non prorsus picturae nostrae repugnare coniecturae Aristoteleae videntur, tamen prima comoediae rudimenta sub illud tempus, quo vascula nostra fabricata sunt, admodum erant superata. Ex monumentorum contemplatione hunc certe fructum auferemus, ut Aristotelis sententiam eum in sensum verti iamiam vetemus, in quem vertit F. Leo (mus. Rhen. XXXIII, p. 145): »*κωμῳδία* im eigentlichen Sinne, d. h. Schwarmgesang der Phallophoren war die Komödie auch hiernach noch in den ersten Jahrzehnten des Jahrhunderts«. Wilamowitzii autem opinioni, qui (Eur. Heracles vol. I p. 54) homines comum phallicum agentes initio obvolutos fuisse dicit, ne facie noscitantur »nur um unerkant zu bleiben«, erit obiiciendum, ex figuris effici veri simili-

tudinem, certius personarum semen in cultu phallico antiquioribus temporibus infuisse.

Atque ut ad exitum perducamus quaestionem, quam de vasculorum figuris instituimus, illud unum restat ut quaeramus, quonam loco actos esse comos illos conici possit. Fueruntne adiuncti pompae, in qua simul cum Dionyso in carru navali sedente (Duemmler l. c.) circumgebantur? Figurarum dispositio, quam in pictura amphorae Berolinensis no. 1830 observamus, ne de agmine per urbem incedente cogitemus, non impedit. Tota vero quae eruitur ex picturis apparatus scenici perfectio efficit, ut comos illos iam certo loco esse actos putem. Quare nihil iam habet miri, quod G. Oehmichen in commentatione, quam conscripsit de titulo C. J. A. II 977 i, K, w, v (Sitzungsberichte d. Akad. d. W. zu München 1889, Bd. II, p. 164) ad annum fere 478 a. Chr. lenaeorum certaminum comicorum initium referendum esse coniectura colligit¹⁾. Quin etiam ex natura esse rerum dicemus poetas comicos, priusquam publico sumptu comoedia

¹⁾ Quod Oehmichen l. c. contendit etiam de anno 478 dici potuisse „ὄψε ποτε“, quantum attinet ad tragicorum primum certamen, nihil habet dubii. Sed alium quendam scrupulum eum oportuit eximere. Veri enim est simillimum Chionidis et Magnetis aetatem ad initium certaminis comici referendam esse; recte Wilamowitz (Hermes XXI, p. 613 adn. 2), coniungens locum Poet. V: *χορὸν κωμῳδῶν ὄψε ποτε ὁ ἄρχων ἔδωκεν* et Poet. III: *Ἐπίχαρμος ὁ ποιητῆς πολλῶ πρότερος ὢν Χιονίδου καὶ Μάγνητος*, vertit: „Lange nach Epicharm hat der Archon zuerst einem Komiker einen Chor gegeben“. Quaeri igitur debuit, num annum 478 spectans Aristoteles dicere potuerit: *Ἐπίχαρμος πολλῶ πρότερος ὢν*. Postquam Meineke, quem sequitur Wilamowitz (l. c.), eam controversiam ita disceptavit, ut Magnetem et Chionidem circa annum 460 a. Chr. floruisse diceret, recte Lorenz (Epicharm p. 53 sq.) rationem apposuit eam, quod Aristoteles eo loco non dicit aetatem, qua Syracusis floruit Epicharmus, sed eam, qua Megarae comoedias scribere coepit. Quam opinionem gravissimo argumento adiuvare neglexit Lorenz, eam dico, quod Aristoteles illo loco tradit Megarenses Hyblaeos comoediae inventionem sibi vindicasse. Quare, si circa annum 478 Magnetem et Chionidem comoedias scribere coepisse ponimus, Aristoteles dicere potuit annum 478 a. Chr. spectans: *Ἐπίχαρμος πολλῶ πρότερος ὢν Χιονίδου καὶ Μάγνητος*: Epicharmus multo ante Magnetem et Chionidem comoedias scribere coepit.

quotannis, circa annum 478 a. Chr., agi coepta est, artis suae specimina iamiam dedisse, quae eum in modum in lucem edita esse non sine veri specie suspiceris, ut choregi voluntarii chorum ornandum curarent¹⁾. Neque illud ab omni probabilitate abhorret, quod in tragoedia factum esse negat Oehmichen (l. c. p. 161), archontem interdum, cum re vera comoediae maiore apparatu dignae suppeditabant, chorum dedisse. Quae utut sunt, Aristotelis illud ἡ δὲ κωμωδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἐλάθην ad tempora vasculis illis antiquiora referendum erit.

3.

Antiquissimam comoediam Atticam politico tinctam fuisse colore vasculo mus. Berol. no. 1697 denuo ostendi superfluum fere est monere, neque minus chorum theriomorphicum carmina probrosa me iudice cantasse supra exposui. Qua re non est, quod comoediam Magneteam politicam non fuisse arbitrer ex iis, quae Aristophanes de ea Equ. 522 sq. significat. Quae cum fuisset vulgata, etsi tacita hominum doctorum opinio, ante haud ita multos annos immutationem experta est Th. Zielinskii libello, qui inscribitur »Die Märchenkomödie in Athen«²⁾. Cum ad eam controversiam dirimendam figurae in vasculis mus. Ber. no. 1830 et mus. Brit. depictae nullius momenti non sint, quippe quas comoediae paramythiae³⁾ antiquissima testimonia temere quis dicat, meum erit illam Zielinskii opinionem accuratius examinare, id quod, nisi uberius de illo libello disserendo, non potero.

¹⁾ Philologos antiquos Aristotelis verba ἀλλ' ἐθελονταὶ ἦσαν non omnes eum in sensum vertisse, quasi significant choreutas et actores voluntarios, testatur Hesychius: ἐθελοντάς· τοὺς βουλευμένους ἢ χορηγοὺς et Eustathius ad Il. k. 227: ἐκαλοῦντο δὲ ἐθελονταὶ διδάσκαλοι δραμάτων δηλαδή, ὅτε τις μὴ λαβὼν χορὸν μηδὲ χορηγητὴν ἔχων, ἐαντιῶ τὰ πάντα παρῆεν.

²⁾ Besonderer Abdruck aus dem Jahresberichte der deutschen Schulen zu St. Annen, St. Petersburg 1885.

³⁾ De voce illa cf.: Zielinskii, Quaestiones comicae p. 66 adn. 4 (Jahrb. d. Kaiserl. russ. Ministeriums für Volksaufklärung 1886. fasc. 11 et 12).

Fuitne omnino »comoedia paramythia«, in qua singularia quaedam et a comoedia politica et mythologica tam aliena infuerunt, ut recte eam notet, qui ad eam verba Zielinskiana adhibet »rein märchenhafte Richtung«? Jam vide quam argumentandi rationem vir ille doctus ineat. Primum quidem probare conatur p. 9 sq. et Avium Aristophanis fabulam niti quibusdam paramythiis, quae etiam nostris temporibus in Graecia narrantur, et esse illam comoediam »eine harmlose Feerie«. Quas duas res ut probet Zielinskio si non contigit, non est, quod omnino inter comoedias deperditas fuisse pure paramythias quasdam nobis persuaserit. Ac optime Zielinskium meritum esse duco de Avium interpretatione, quod post innumerabiles fere virorum doctorum disceptationes¹⁾, utrum Avium fabula sit cum omni licentia poetica inventa nec ne, philologos attendere animos iussit ad paramythiorum argumenta ex saeculorum caligine ad lucem revocata. Persuasit quidem mihi poetam comicum in usum suum vertisse urbem procul investigandam, consilium in avium conventu quaerendum, ingentem murum ab avibus aedificandum, sed quin ultra sequar Zielinskium discrepantiis, quas exhibet comoedia, prohibeor. Quae ne ipsum quidem effugerunt, quin etiam imputat poetae comico »schreiende Inconsequenz«; itaque miror, quod nihilominus p. 18 pergit: »Bis hierher haben wir die Komödie mit dem Märchen verglichen. Die Uebereinstimmung hat sich als bedeutend genug erwiesen, um uns das Recht zu geben, nun die Komödie aus dem Märchen zu rekonstruiren«. Ac discrepantiam quandam ne neglegamus, quae a Zielinskio non commemoratur, sed quae est, dummodo accuratius examinetur, gravissima: in paramythio agitur de eo, qui est rex avium vel cancrorum, comoediae autem permagnam partem explet illa actio, qua Peisthetaerus ut rex avium fiat omni adhibita contentione enititur. Quis ex solis fragmentis id voluerit eruere? Altero vero loco quaeramus, num re vera ea comoedia adeo impugnatione civium et rei publicae sit vacua, ut apte eam a comoedia politica funditus differre et esse quis dicat

¹⁾ cf. Behaghel, Geschichte der Auffassung der Vögel des Aristophanes.

»eine harmlose Feeerie«: Contra si partem Avium (v. 903—1055, 1335—1469) qua ad rei publicae statum ac condicionem satis significanter poeta alludit, quamque Z. p. 11 ut scurrilem quandam intento tantum digito tetigit, acriore iudicio perpenderis, eam ad totam comoediam recte aestimandam maximi esse ponderis sine dubio observabis. Altero huius dissertationis capite simillimas partes in compluribus comoediis Aristophanis certis finibus circumcludemus, unde efficietur ea ipsa componendi ratione signari comoediam politicam. Cum ad eam scenam post parabasim in medium conferendam priorem fabulam accommodari oporteat, in Avibus quoque paramythia non ipsorum causa, sed ut politicae inserviant comoediae exsculpendae a poeta prompta et quantum ei visum est mutata esse dicemus.

Fundamentum igitur, quo nititur argumentatio illa, haud ita firmum mihi videtur. Ac eis, quae ex deperditarum comoediarum fragmentis Zielinski elicere conatus est, in univsum verba, quibus Kaibel (Herm. XXIV, p. 52) nuper eiusmodi coniecturas condemnavit, apte opponantur: »Überhaupt ist es gewagt, aus einer erkennbaren Scene den Gang des verlorenen Stückes erschliessen zu wollen. Wie viele fruchtbare dramatische Motive liegen bei Aristophanes in beiläufigen Andeutungen, oder in untergeordneten Scenen versteckt: wären sie uns als vereinzelte Bruchstücke überliefert, wie viele irrigge Schlüsse würde man aus ihnen nach einer leider immer noch nicht überwundenen Methode für den Gang der Handlung selbst ziehen.« De singulis quibusdam, quae mihi in reliquis deinceps occurrerunt improbanda, quam brevissime exponere liceat.

Ex Athenaei loco VI 267 e, praecipueque ex fragmentis eo loco servatis critici eruerunt poetas in illis comoediis priscam hominum felicitatem »descripsisse«¹⁾, quo non nimia contenduntur verbo. Sed caveamus ne secuti Zielinskium falsam opinionem mente compre-

¹⁾ Bergk, Comm. de Reliqu. Com. Att. p. 196; Litgsch. p. 56. Bernhardt, Litgsch. II 2 p. 589.

hendamus. An recte illis comoediis appellationem imposuit »Schlaraffenkomödien«? Vide, quid vir doctus significare velit eo vocabulo (p. 20): »So lag es denn nahe«, inquit, »diesen Traum als verwirklicht (!) auf die Bühne zu bringen«. At inspicere Athenaeum: *οἱ δὲ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιηταὶ περὶ τοῦ ἀρχαίου βίου διαλεγόμενοι, ἔτι οἱ ἦν τότε δούλων χρεῖα, τοιάδε ἐκτίθενται κτλ.* Quid vero? *Διαλεγόμενοι* verbo significatur nihil nisi ipso, qui ad partes vocatur, loco poetas singulos illam felicitatem descripsisse, id quod confirmatur verbis Athenaei infra sequentibus 286 d.: *ἐγὼ δὲ ἐπειδὴ ὡς περ λαμπάδιον κατασείσαντος τοῦ θαυμασιωτάτου Κρατίνου τὰ προκείμενα ἔπη καὶ οἱ μετ' αὐτὸν γινόμενοι μιμησάμενοι ἐπεξεργάσαντο κτλ.* Ea ipsa igitur, quae adscribuntur verba, illi vitae depingendae dedita erant, etsi aliis, quam iis, quos adscripsit Athenaeus, locis nescio quo consilio eam poetae tetigerint (cf. Cratini fr. 164. Kock). Zielinskius vero p. 31 de Persis Pherecratis dicenti: »Doch ist die Scenerie hier anders als in den früheren Komödien derselben Richtung, das goldene Zeitalter wird erst als bevorstehend geschildert«, item, obiiciam, in ceteris: auream aetatem aut praeteritam poetae praedicant, aut futuram rident. De praeteritis temporibus loquitur Cratinus fragm. 165, Teleclides fragm. 1, Pherecrates fragm. 108; de temporibus futuris loquitur Pherecrates fragm. 130, Nicophon fragm. 13, Crates fragm. 14. Unum restat Thuriopersarum Metagenis fragm. 6. Quousque eo fragmento res, quae fieri prorsus non possunt, descriptae sint equidem nescio. Quare subtiliorem quam comminiscitur Zielinski distinctionem comoediarum, quas dicit »Schlaraffenkomödien« (p. 67 f. adn. 27.), sequi nequeo.

Causam, quam ad redintegrationem suam Caprarum Eupolidis probandam Zielinski profert, de Eupolidis fragm. 10 scribens: »Nun vergesse man nicht, dass die Ziegen des Chors sich auf der Orchestra befanden, sie können also nicht gemeint sein«, eam post Doerpfeldtii litteras ad Alb. Muellerum datas (Bühnentalertümer p. 415) et Wilamowitzii dissertationem (Herm. XXI, p. 597) omittere mihi liceat.

Comoediae paramythiae inter ceteros unum praecipue designat

poetam, is est Pherecrates. De quo Zielinski p. 23. sq.: »Er hat zu der komischen Gattung, die uns interessirt, von allen den reichlichsten Beitrag geliefert«. . . . »Pherekrates hat folgende Märchenkomödien geschrieben: Die Guten, Die Wilden, Die Metallier, Die Ameisenmenschen und Die Perser.« Sed »Von den Guten«, inquit ipse, »wissen wir freilich auch nicht viel«. De Metallicis Athenaeus XV. 685 a.: 'Ο πεποιηκώς τοῖς εἰς αὐτὸν (Φερεκράτῃ) ἀναφερομένοις Μεταλλεῖς et de Persis ibidem: καὶ ὁ Φερεκράτης ἢ ὁ πεποιηκώς τὸ δράμα τὸν Πέρσας¹⁾. De Myrmecanthropis cum ne credulissimo quidem Zielinski persuaserit (p. 28), una restat Agrii. Quae comoedia, quamquam mihi de eius argumento nonnihil Zielinski persuasit, tamen, an omni vellicatione civium et magistratum abstinerit, nescio: et fragm. 6 et fragm. 14 olent illud ὄνομασι κωμωδεῖν. Id solum certum est, argumentum quoddam fuisse poetis usitatum, quo protagonista odio hominum commotus in solitudinem se abderet, quo argumento Pherecrates in Agriis usus est, Aristophanes in Avibus, et si quid ex solo titulo colligere licet, Phrynichus in Monotropo. Ceterum omnia quae tractantur Agriorum fragmenta ante parabasim posita fuisse verisimile videtur. Quamnam fabulae fuisse uberiorem exornationem putas post parabasim? Eodem modo, ni fallor, quo in Avibus Atheniensium res publica in absentia, ut ita dicam, castigata est.

Zielinski, quamquam ex titulo chorum theriomorphicum indicante ne temere paramythiam divinet comoediam plerumque cavet, tamen ex illis versibus Aristophanis (Equ. 522 sq.) colligere non dubitat Magnetem fuisse paramythiae comoediae poetam antiquissimum²⁾. Qua de re quid sentiam supra exposui, neque totius libelli argumentatio est idonea, quae mihi pravam adhuc de comoedia Magnetee valuisse opinionem persuadeat. Attamen satis inest meriti in eo,

¹⁾ Meineke (Hist. crit. c. A. p. 68 sqq.) grammaticorum veterum iudicio levi tantum dubitationis significatione suum opposuit, ita ut ad eum simpliciter provocare vix Z'o liceat.

²⁾ cf. Gliederung p. 241. ubi addit „Schöpfer im antiken Sinne“, ita ut etiam antiquiorem Magnetis aetate comoediam paramythiam dicat.

quod Zielinski ad Aristophanis quae exstant comoedias paramythia nullius momenti non fuisse etiam philologis in dubitando obstinationibus credo probavit. Sed nec chorus phantastice inventus sicut Nubium, nec animalium inductio sicut Vesparum, Avium, Ranarum, nec demum fabula ad argumenta paramythiorum applicata sicut Pacis, a comoedia politica sunt aliena.

CAP. II.

I.

Quis est quin sciat fuisse antiquitus philologis malam crucem, quod ratio, qua in componendis fabulis Aristophanes utitur, admodum repugnat scenarum concinnitati, qua fabula artificiose perpolitata debet instructa esse. Qua de re cum alii sententias permiras protulerunt tum E. W. Brentano, qui eo escendit, ut absurda ratiocinatione inductus fabulas, quae feruntur Aristophanis, subditicias quasdam esse sibi persuaderet (*Untersuchungen über das griechische Drama. I. Aristophanes. 1871. — Aristophanes und Aristoteles, oder über ein angebliches Privilegium der alt-attischen Komödie. 1873*). Annis deinceps 1884 et 1885 trium virorum doctorum dissertationes editae sunt, quibus Aristophanis ars dramatica denuo in quaestionem vocatur ac magna diligentia, diversis tamen rationibus percensetur. Th. Zielinski (*Die Gliederung der alt-attischen Komödie*) rem pro quaerendi genere, in quo operam suam posuit, ubi locus ei materiae tractandae datus est, iterum ac saepius tetigit; Th. Kock meritone factum sit, ut in summam gloriam Aristophanes veniret, diudicandum sibi sumpsit (*mus. Rhen. XXXIX, p. 118 sq., »Aristophanes als Dichter und Politiker«*); sed in fabularum quae proprie dicuntur Aristophanis concentum pervestigandum se totum contulit Textor (*Die dramatische Technik des Aristophanes. Stettin 1884*).

Textor et Kock, praeterquam quod plerisque comoediarum Aristophanis id vitio dant, quod divisae sunt in duas partes stricto

contextu carentes, praecipue in certas quasdam partes invehuntur, in quibus componendis poetam omnem curam ac diligentiam omis- sisse arguunt. Illud enim poetae ut peculiariter vitiosum opprobrio dant, quod post parabasim, missa comoediae firma structura, scenas aliam alii asserat et nonnunquam regulam artis dramaticae adeo non sequatur, ut personas ludicras continua serie in scenam pro- deantes et, postquam paullulum temporis partes suas sustinuerunt, descendentes faciat.

Kock, p. 132, hisce verbis iudicii sui facit summam: »Aber ihn freute nur der erste kühne Wurf. Bei der sorgfältigen Durch- führung des einzelnen verdampfte oft zu schnell der feurige Wein und in den schildernden Scenen des zweiten Theils, die in infinitum vermehrt, ebensogut aber auch ohne zu grossen Schaden ver- mindert werden könnten, lässt sich zuweilen eine nur durch die grossartigste Routine verdeckte Ermattung der Produktionslust, ein gewisser Überdross an der Vollendung des Begonnenen wahr- nehmen.« — Textor, de Pace p. 18 »Dagegen«, inquit, »erscheinen auch hier wie in den Acharnern eine ganze Reihe neuer Personen, zumal im Schlussakt, die ebenso unerwartet kommen, als sie, nach- dem sie ihre Schuldigkeit gethan, ohne Ceremonien vom Dichter entlassen werden.« (cf. p. 5 et 6.) Quae sit causa eius vitii cum quaesierit, respondet: »Die Antwort: weil ihm die Tendenz des Stückes weit wichtiger ist wie dessen Handlung«.

At in Aristophanem opprobria conicere ne pergamus, aliunde exorsi ad quaestionem retractandam accedamus.

Recte Textor eandem rationem facit quatuor comoediarum Acharnensium, Pacis, Pluti, Ecclesiazusarum, quae post parabasim solutum exhibent scenarum ordinem. Mihi quidem eidem generi ascribendae videntur Acharnenses, Pax, Aves, quam seorsum tractat Textor fabulam, quodammodo Plutos, quia in iis fabulis componendis eodem instrumento poetam uti video. Hominem enim haud ita valde eruditum, sed sagaci ingenio et acerrima dicacitate praeditum, primas partes sustinentem facit. Qui postquam ante parabasim rem institutam ad exitum aliquo pacto perduxit, personarum seriem,

quae iam iam inducuntur, perstringit irridet, postremo plerumque verberibus expellit. Quae instituendi scenam ratio hisce occurrit in partibus. In Acharnensibus foro determinato a Dicaeopolide ludibrio habentur v. 719—835 Megarensis, 860—958 institor Boeotus, 1018—1036 agricola, 1048—1068 paranympus; in Pace a Trygaeo vellicantur 1052—1122 Hierocles vates; 1191—1310 falcium, cristarum, thoracum, tubarum fabricatores, puer Lamachi, puer Cleonymi; in Avibus a Peisthetaero irridentur 903—1057 poeta, vates, Meton, episcopus, tabularum venditor; 1337—1469 parricida, Cinesias dithyramborum poeta, sycophanta. In Pluto ratio illa quodammodo immutata adhibetur, quia in argumento amplificando non ad protagonistam unum atque solum rerum administratio, ut ita dicam, defertur; 802—958 ad Carionem inducuntur homo iustus et sycophanta, 959—1096 vero a Chremylo anus cum adolescentulo, 1097—1170 a Carione Hermes, 1171—1207 sacerdos et anus a Chremylo perstringuntur. In Ecclesiazusarum altera parte protagonista prorsus abest a scena (cf. Textor l. c. p. 29).

Jam quaestionem subdifficilem, quam de Aristophanis arte dramatica inchoavimus, recentioris comoediae popularis exemplis illustrare conaturus, vereor ne cui vilia altis miscere videar. Veniam vero ei rationi spero me impetraturum esse ab iis, qui in lectitando Aristophane quodammodo tacite eandem rationem ingressi sunt. Certum enim illud comoediae humiliter iocularis est genus neque nostrum cuiquam, cum in tabernis scurrarum peregrinantium peractum videmus, habet quod videatur alienum. Nam quid tritius et a pueris quasi usitatus nobis est, quam illa ludicra quae vocantur »Harlekinade«, »Hanswurstiade«, recentissima aetate »Casperliade«? Nonne in iis spectandis vel agendis saepissime illa ipsa componendi fabulam ratione delectati sumus?

Si quis partibus illis comoediarum Aristophanis, quas supra notavimus, ex aliarum gentium poesi humiliore comica luculenta analoga afferre vult, perlustrare primos eum oportet illos libros, in quos Italorum commedia dell' arte quam dicunt primis rudimentis paullo politior collata est. Quorum in numero est liber Quadrii

della Scalla¹⁾, qui summatim Arlequino quae iocari possit significat. In illis quoque comoediis, quas conguessit Gerhardi,²⁾ ludibria Arlequini passim interposita sunt, quae in suum usum ex iis excerptis Stranitzky,³⁾ celeberrimus ioculator Vindobonensis. Ad illarum partium similitudinem proxime accedunt illae quoque scenae scurriles, quae occurrunt in comoediis puparum apparatu agendis ab actoribus peregrinantibus per saecula servatis, quas collegit Engel.⁴⁾ Id vero differt inter fabulas has et Aristophaneas, quod eae, quae per totam fabulam partes suas sustinent, personae non novae quaedam et ad hoc solum inductae ludibria ioculatoris subeunt. Tales fabellas cum investigemus, in qualibus novae personae alia post aliam ad protagonistam scurrantem prodeunt, propius ad nostrum exemplum accedunt Hispanorum Entreméses quae dicuntur, inter quae interludia ad partes voco Lopae de Vega illud, in quo praeter filiolae procos poetam inducit ridiculosissimos versus condentem.⁵⁾ Goethe, cum comoediae popularis specimen componere vellet, in fabella »Der Jahrmarkt zu Plundersweiler« eadem inducendi personas ratione usus est. Hafner (Ges. Schriften. Wien 1812, I S. 79ff.) nihil nisi parodiam comoediae popularis quam dicimus »Hanswurstiade« eamque sublanguidam effinxit, aptam tamen, quae eiusmodi ludicrorum structuram quodammodo illustret, quippe quod in ea sannio ille primas partes sustinet et alias personas quasi transeuntes ludibrio habet. Ut vero nostra aetate Dicaeopolin, Trygaeum, Peisthetaerum spectemus sugillantem sycophantam, vatem alias personas typicas, ad comoediam libris non mandatam nobis est descendendum. R. M. Werner in praefatione ad Stranitzkii Vindobonensis Ollam potridam p. XIII

¹⁾ Il teatro delle favole rappresentate ovvero la recreazione comica boscareccia et tragica. Venedig 1611.

²⁾ Le théâtre italien ou le recueil général de toutes les comédies et Scènes françaises jouées par les comédiens Italiens du Roy, pendant tout le temps, qu'ils ont été au Service.

³⁾ R. M. Werner, Der Wiener Hanswurst. Olla potrida des durchgetriebenen Fuchsmundi von J. A. Stranitzky. (Wiener Neudrucke 10.)

⁴⁾ Deutsche Puppenkomödie. Oldenburg 1874.

⁵⁾ Rapp, Spanisches Theater IV, p. 365.

(Wiener Neudrucke B. 10) comoediae rarissimum exemplum, quod ipse vocat »eine echte Hanswurstiade«, in vico Bavarico se vidisse dicit, et alterum antiquissimum, manu scriptum affirmat se possidere. Cum iam dolerem, quod ea non accuratius descripsit, ipse quoque in vico Brandoburgensi vidi puparum apparatu peractam comoediam popularem quae, cum de illis scenis Aristophaneis in rectam partem accipiendis cogitarem, magnae mihi voluptati erat neque planius quod eam describo, quaestionem ad ineptias deflectere mihi videor. Casperle quem vocant sannio, cum prologo spectatoribus exposuisset, quis esset, qua in condicione viveret, quo loco res ageretur, tum procul negotiis capere quietem sibi esse in animo dixit. Quod cum vixdum facere pararet, molestissimi advenae apparuerunt: exactor vectigalium, institor judaeus polonicus, alii typi populares, quos, cum singulos ad rei publicae statum atque administrationem alludens, aliquantulum temporis ludibrio habuisset, postremo verberibus spectantium cum risu expulit. Actorem cum locum actionis pronuntiantem audirem, Dicaeopolidis forum suum metantis (Acharn. v. 719 sq.), eundemque cum alias illas personas irradientem atque expellentem viderem, Acharnensium, Pacis, praecipue Avium mihi particularum illarum in mentem venit, in quibus mira similitudine Aristophanes protagonistam ioculatorem molestos advenas eiicientem facit, quod qui nostrae linguae verbo notaverit »hinauspresentschen«, rem teneat.

Quae cum sit forma naturalis comoediae apud alias, ut modo vidimus, gentes, is, qui illas partes Acharnensium, Pacis, Avium, Pluti ab Atticae comoediae antiquissimo exemplari repentendas esse statuet, haud ita multum a vero aberraverit. Quare inter omnes quas perlegi virorum doctorum sententias Brentanonis illa mihi optima videtur, qui Avium vv. 904—1057 esse dicat »eine nicht unverächtliche Reliquie der altattischen Komik«.

Minime vero ignoro eum, qui in vituperando Aristophanem perseverare velit, illuc confugere posse ut contra dicat facile delabi in id vitium poetas, qui extra artis poeticae regulam aliquod consilium in componenda fabula sequuntur. Cuius rei adiungat exempla quispiam illas comoedias, quas Francogalli »pièces à tiroir«, nos

»Schubladenstücke« dicimus. Sed quid quod Aristophanes huic rationi indulget ipsis in comoediis, quae iisdem, temporibus quibus tragoediae Sophoclis et Euripidis ad elegantissimam artem excultae, Atheniensibus eruditissimis spectantibus et iudicantibus, laude maxima vel etiam praemio publico dignae existimatae sunt. Quae res quo excusetur non habet nisi quia Athenienses eam rationem etiam in aliis poetis deprehendere consuerant et quia Aristophanes eam a poetis aetate superioribus hereditate acceperat. Quominus fabularum inconcinnitatem Aristophani tamquam proprium vitium imputarent vel quasi eum artem componendi fabulas laxavisse dicerent, Textorem, Kockium, alios homines doctos prohibere debuit illud Platonii (περὶ διαφορᾶς χαρακτήρων) de Cratino dictum: εὐστοχος δὲ ὢν ἐν ταῖς ἐπιβολαῖς τῶν δραμάτων καὶ διασκευαῖς, εἶτα προῶν καὶ διασπῶν τὰς ὑποθέσεις οὐκ ἀκολουθῶς πληροῖ τὰ δράματα. Ut vero non solum fabulae universae inconcinnitatem, sed etiam eandem illam componendi partes quasdam rationem a superioribus poetis Aristophani traditam fuisse probetur, operae pretium erit interpretationi loci cuiusdam in prolegomenis de comoedia exstantis rursus manum admovere, quem locum aut non recte perspicere viri docti videntur, aut cui fidem habendam esse prorsus negant.

Anonymus V (Duebner) postquam exposuit comoediam et antiquam et novam existisse addit haecce: καὶ αὐτὴ δὲ ἡ παλαιὰ ἐαντῆς διαφέρει καὶ γὰρ οἱ ἐν Ἀττικῇ πρῶτον οὐστησάμενοι τὸ ἐπιτήδευμα τῆς κωμωδίας (ἦσαν δὲ οἱ περὶ Σουσαρίωνα) καὶ τὰ πρόσωπα εἰσῆγον ἀτάκτως καὶ μόνος ἦν γέλως τὸ κατασκευαζόμενον. Ἐπιγερόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμωδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν οὐστήσας τὴν ἀταξίαν καὶ τῷ χαρίεντι τῆς κωμωδίας τὸ ὠφέλιμον προσέθηκε, τοὺς κακῶς πράττοντας διαβάλλον καὶ ὡσπερ δημοσίᾳ μάστιγι τῇ κωμωδίᾳ κολάζων. ἀλλ' ἔτι μὲν καὶ οὕτως τῆς ἀρχαιότητος μετεῖχε καὶ ἴσχυμα πῶς τῆς ἀταξίας· ὁ μὲντοι γε Ἀριστοφάνης μεθοδεύσας τεχνικώτερον τῆς μεθ' ἑαυτοῦ τὴν κωμωδίαν ἐνέλαμψεν ἐν ἅπασιν ὀφθεῖς οὕτω κτλ. Ne quis temere me accuset falli me eum in modum, ut auctorem manibus tenere mihi videar, qui de comoedia Cratini aetate antiquiore comperta habuerit accuratiora quaedam, quam quae nos per Aristotelem scimus; id tantum, sed quod est

gravissimum, spectes, auctorem illum, cuius ex libris Anonymus vel alius compilator ea verba petiit, et Cratini et Aristophanis comoedias manibus tenuisse et perlegendō eas inter se comparavisse; antiquioris comoediae formam coniectura tantum assequi conatur.

Quid valet verbum *ἀταξία*? Miram huic voci sententiam subiicit Richter, Prolegomena ad Aristoph. Vesp. p. 35: »Similes actorum voces, similes pronuntiationes, similesque personae, habitusque similes — etsi Pollux in enumerandis multus est — haec omnium inter se partium similitudo effecit, quando actorum nimius numerus accedit, *ἀταξίαν* ut habeas illam a grammatico dictam. Has igitur propter causas probabile est certum actorum numerum a Cratino constitutum esse, scilicet provisum ab eo esse, ne tribus plures una prodirent et loquerentur.« Quantum a vero aberraverit Richter ex verbis sequentibus colligendum est: *ἀλλ' ἔτι μὲν καὶ οὗτος τῆς ἀρχαιότητος μετέγχε καὶ ἡρέμα πως τῆς ἀταξίας*, in quibus minime ea inest vis, quasi nonnunquam Cratinus tribus plures una prodeuntes et loquentes fecerit. An quis putet? Similia Meineke exposuit (Hist. crit. p. 50). Beer (Die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes p. 19): »Wahrscheinlich«, inquit, »bezog sich die Massregel des Kratinos nur auf die Parachoregemata, deren Gebrauch von manchen Komikern ungebührlich erweitert sein mochte.« Brentano, quamquam in totius rei diiudicatione pessime lapsus est, tamen optime observavit opponendam esse *ἀταξία* illi novae comoediae *τάξις*, qua tota fabula disposita est.

Verba velim spectes *κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μὲχρι τριῶν*, i. e. numerum actorum, scilicet antea indefinitum, ad tres restrinxit, qui ordo oppositus est verbis *τὰ πρόσωπα εἰσῆγον ἀτάκτως*. In quibus igitur verbis ea inest vis: fabulam eum in modum componere, ut nulla restrictione numeri actorum facta personae non simul, sed alia post aliam usque in infinitum vel quousque poetae placet, inducantur. Verba igitur *ἀλλ' ἔτι μὲν καὶ οὗτος τῆς ἀρχαιότητος μετέγχε καὶ ἡρέμα πως τῆς ἀταξίας* significant Cratini fabulas eam speciem praebuisse, ut ex iis poetam aegre strictiore numero personarum assuescere appareret, id quod in legendo ab illo grammatico alia

de causa sentiri non potuit, quam quia in comoediis Cratineis partes quaedam inerant, quae eadem compositae erant ratione ac partes fabularum Aristophanis, quas supra accuratius designavimus. Hic apte verba repetantur, quibus Kock eam rationem putavit sibi notandam esse: »Die schildernden Scenen des zweiten Theils, die in infinitum vermehrt, ebensogut aber ohne zu grossen Schaden vermindert werden könnten«. Platonii vero de arte Cratini hoc est iudicium: *διασπῶν τὰς ὑποθέσεις οὐκ ἀκολουθῶς πληροῖ* — scilicet in altera parte — *τὰ δράματα*. Quam comoediae Cratineae proprietatem aliunde non repetendam esse censuit Anonymus ille, vel auctor quem habuit, nisi ex prisco scenae scurrilis usu, quae ante aetatem Cratini in Attica florebat. Cui opinioni nos per aliarum gentium poesim comicam similia persecuti assentiemur.

Nec deest altera vel gravior causa, ex qua earum quas notavi partium compositionem verbis *ἀτάκτως εἰσηγόν τὰ πρόσωπα* et *καὶ οἶτος τῆς ἀρχαιότητος μετέχει καὶ ἥρέμα πως τῆς ἀταξίας* significari puto. Th. Zielinski in libro qui est de compositione comoediae Atticae antiquae haud inepte mea quidem opinione fieri non potuisse contendit, quin comoedia Attica antiqua cui nomen imponit »Gedankenkomödie«, certum apparatus excoleret, quo quid rei publicae utile putaret poeta exponeret. Minime vero adduci potero ut agoneim quem dicit in antiquissima comoedia illo consilio excultum esse concedam. Nec cuiquam Zielinski quantum video persuasit, Pacem, quae sit agone vacua, comoediis veris ac genuinis non esse adnumerandam, Acharnenses vero et Thesmophoriazusas quo tempore ab Aristophane doctae sunt, agone ornatas fuisse.

Age porro quaeramus, qua ratione in Acharnensibus, Pace, Avibus, Pluto quid rei publicae prosit exponatur? Nimirum illarum personarum inductione id fieri videmus, quae quomodo moveantur pace composita, Nephelococcygia condita, Pluto ad sanitatem revocato, manu gestuque demonstratur. Ea quidem ratio maxime idonea, quae homines simplici indole praeditos delectet et doceat, qui non audire meram verborum disceptationem, sed magis atque praecipue spectare

cupiunt fabellam satis actuosam, quos irridere delectat personas immaniter gesticulantes, corporis vitiis, linguae dialecto conspicuas.

Ad locum Anonymi revertamur: *Ἐπιγεγόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος τῷ χαρίεντι τῆς κωμωδίας τὸ ὠφέλιμον προσέθηκεν*. Quibus verbis minime ea est sententia subiicienda, quasi primus Cratinus vellicandi homines privatos et magistratus illum usum in comoediam induxerit. Annon recte iudicavimus eum morem in carminibus scopticis comorum quos supra pictos contemplati sumus iamdudum constitisse? Anonymus vel auctor, ex cuius libris illa hausta sunt, dicit Cratinum primum illam scenam ridicularem ita adhibuisse, ut ea, quid duceret utile rei publicae, illustraret. Neque alio spectans Aristophanes, sicut modo explanavimus, illis personis utitur, ita ut in utriusque poetae fabulis simillimas partes infuisse admodum probabile sit.

Hoc loco breviter monere iuvat Avium vv. 904—1057 non tantuli esse momenti, quantum dicit Zielinski (*Märchenkomödie* p. 11 sq), sed ea parte, quid ex universa comoedia de re publica efficiendum sit, doceri, ea igitur parte totam comoediam notari politicam.

Attamen ipsius nostri loci exitum obstrepere eis quae a me exposita sunt, non sine veri specie quispiam dicat: *Ὁ μόντοι γε Ἀριστοφάνης μεθοδεύσας τεχνικώτερον τῆς μεθ' ἑαυτοῦ τὴν κωμωδίαν ἐνέλαμψεν ἐν ἅπασιν ὀφθεις οὔτω, καὶ οὔτω πᾶσαν κωμωδίαν ἐμελέτησε· καὶ γὰρ τὸ τοῖτον δράμα ὁ Πλοῦτος κτλ.* Quae verba facile quis adduci potest, ut interpretetur ita, quasi illa ἀταξία Cratini ab Aristophane superata sit. Neque dubitat Brentano (*Aristophanes und Aristoteles* S. 51) ea verba opinioni suae, in Aristophanis quae exstant fabulis nimiam licentiam non tolerandam esse, firmamento vertere. Supervacaneum fere est obiicere illum Aristophanis vitam et artem parum intelligere, qui opinetur eum primis statim comoediis proprium suum ingenium aperuisse conspicuumque fecisse. In Acharnensibus ad imitationem Cratini se composuit Aristophanes; verbis vero *μεθοδεύσας τεχνικώτερον τῆς μεθ' ἑαυτοῦ τὴν κωμωδίαν* alluditur ad eas comoedias, quas fabula artificiose composita poeta ornavit, ita ut politica quidem comoedia vix haberet, quo ultra procederet. Inter quas primum locum tenent Equites. Singulare illud in ea comoedia innovavit

Aristophanes, quod quae in reipublicae administratione reprehensione digna ei viderentur, fabula libere inventa et satis magna concinnitate ornata docuit; ingens ille, dummodo recte aestimetur, artis comicae progressus. In compluribus posteriorum fabularum componendis veteris comoediae instrumentum rursus adamavit.

Wilamowitz (Hermes IX, 1875, p. 338), postquam locum illum citavit: »Nun«, inquit, »kann etwas deutlicher sein, als dass jener γέλως Μεγαρικὸς, den wir oben bei den attischen Komikern verspottet fanden, jene κωμῳδία φορτικὴ, allein die Farben zu diesem Bilde geliehen hat?« Sed ei quoque, cui quaelibet traditio in suspicionem venit, in qua Susarion memoratur, haec, quae abiiciatur, non est digna. Accuratius locum examinemus. Tres gradus percurrentem facit comoediam auctor, ita ut trium poetarum inventiones inter se opponantur: antiquissimorum, Cratini, Aristophanis. Itaque iterum legentem me offendunt verba ἦσαν δὲ οἱ περὶ Σουσαρίωνα, quibus in verbis sine dubio inest: Susarion cum actoribus; equidem exspecto primos poetas Atticos, qui Cratinum antecedunt. Quare suspicor parentes illam ἦσαν δὲ οἱ περὶ Σουσαρίωνα subditam esse ei loco ex alio quodam fonte, in quo Susarion inerat. Verba vero Anonymi manaverunt ex quolibet fonte, in quo ante Cratinum Magnes et aequales eius, utpote qui habendi essent ἐν Ἀττικῇ πρῶτον συνησάμενοι τὸ ἐπιτήδευμα τῆς κωμῳδίας, memorati erant, ita ut comoediam pure Atticam esse is vellet auctor. Itaque vereor, ne Wilamowitz probabilem coniecturam, quam de comoediae Atticae antiquissima forma optimus quidam auctor ediderat, abiecerit.

2.

Certum quoddam elementum cum iam seiunxerim ex parte comoediae post parabasim sita idque perantiquum esse dixerim, in controversiam vocavi ea, quae de comoedia antiquissima ex Aristophanis quae exstant fabulis eruenda commentatus est Th. Zielinski. Contra ea, quae ab illo viro doctissimo exposita sunt, ut meas partes defendam, facere non potero, quin ad causas a viris rei peritioribus iam prolatas addam paucas, ex quibus duas illas comoe-

diae Aristophaneae partes choricas, parabasim et exodum, in vetustatem suam, ex qua Zielinski eas deicere conatus est, restituendas esse arbitrer.

Qui vir doctissimus in libro, qui inscribitur »Die Gliederung der altattischen Komödie«, probare conatur comoediae priscae vestigia inveniri in parte ante parabasim posita, praecipue agonem quem dicit comoediae stirpem, parabasim vero ab initio fuisse epilogum. Neque desunt, quos assentientes habuerit. Sed aversarium nactus est Kaibelium, qui unam observationem illis opposuit (Hermes XXIV, p. 38 sq.), qua epirrhemata scoptica in locum iis proprium restituit. Duabus de causis Zielinski epilogi naturam in parabasi deprehendere sibi visus est quarum priorem illam affert, quod choreutae et poeta spectatores alloquuntur, alteram quod choreutae nonnunquam vestimenta sese deponere (*ἀποδύναι*) dicunt.

Jam ut videamus illud quod poetae initio parabasis de se suaque condicione loqui audent, id haud ita antiquum hoc loco et a parabasi originali alienum mihi videtur. In Pace v. 734 sq. verbis

χρῆν μὲν τύπτειν τοὺς ῥαβδοίχους εἴ τις κωμωδοποιητῆς

αὐτὸν ἐπῖνει πρὸς τὸ θέατρον παραβάς ἐν τοῖς ἀναπαίστοις

Aristophanes se vitii sibi conscium esse significat, neque minus in Acharnensibus v. 628 sqq. quasi pro delicto suo verba antea facit:

Ἐξ οἷγε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικῶς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν,

οὐπω παρέβη πρὸς τὸ θέατρον, λέξων ὡς δεξιὸς ἐστίν·

διαβαλλόμενος δ'ἰπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίσι ταχυβόλοις,

ὡς κωμῶδεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει,

ἀποκρίνεσθαι δεῖται νυνὶ πρὸς Ἀθηναίους μεταβόλους.

Certamen comicum institutum terminum in se habet, post quem poetas tam copiose de se suaque poesi loqui moris esse potuit. Sed altera quaedam, ni fallor, respicienda nobis est causa, qua adducti comici poetae loquacitati tantae indulgebant. Qualiscunque enim proagonis institutio fuit, — in Oehmichenii sententiam (Bayr. Akad. 1889, B. II, p. 103 sqq.) an multi ituri sint nescio —, id certe ex locis schol. Aesch. Ctes. 67 et schol. Aristoph. Vesp. 1109 et Plat. Sympos. 194, elucet poetis tragicis extra ipsum certamen

de se suaeque poesis via ac ratione exponendi facultatem datam fuisse. Eam ipsam, extra certamen non datam, sibi poetae comici sumpserunt pro maiore licentia comoediae in certamine ipso. Si quis comparaverit Platonis verba de Agathone adhibita: βλέψατος ἐναντίον τοσοῦτου θεάτρον, μέλλοντος ἐπιδείξασθαι σαντοῦ λόγους et Aristophanis in parabasi Pacis 732: ἡμεῖς δ' αὖ· τοῖσι θεαταῖς, ἣν ἔχομεν ὄδον λόγων εἴπομεν, utriusque verba haud dissimilia esse sine dubio sentiet.

Anapaesti vero ipsi, quin illo loco haud ita recenti aetate scribi coepti sint, cum dubium esse non possit, equidem, quia omnis agminis personatorum videtur esse suas personas spectantibus explicare, antiquiorem eam rationem duco, qua in Avibus et Thesmophoriazasis Aristophanes utitur, quaque Eupolin in Capris usum esse ex fr. 14 colligere licet (cf. Pherecratis fr. 64). Breviter poetam spectatores alloqui ex comoediae antiquae est natura, sed aptius quam exempla Plauti et Shakespearii, quos Zielinski citat quique alloquuntur spectatores in epilogo, hic ad partes vocantur Germanorum ludi, qui »Fastnachtspiele« dicuntur, quorum primo in exordio alloquium tale invenitur. Annon, cum Aristophanis verba νῦν σὺτε λεῶ, προσέχετε τὸν νοῦν et alia comparaveris cum hisce:

»Nu hort, ir herrn, und vernemt den schimpf«¹⁾

multisque aliis exemplis, insignem similitudinem in utroque alloquio inesse iudicabis?

Nunc transeamus ad ἀποδῶναι illud. Ac tres quidem quibus occurrit locus nullo modo eam in partem interpretari licebit, quasi choreutae facies detegere et quis unusquisque sit civibus spectantibus aperire velint, sed expressis verbis significatur oneris sublevandi causa vel alio quolibet consilio aut impedimenta esse relinquenda, aut vestimenta exuenda. Primus locus est in Pace 729:

ἡμεῖς δὲ τέως τάδε τὰ σκεῖη παραδόντες
τοῖς ἀκολούθοις δῶμεν σῶζειν κτλ.

alter in Lysistrata v. 615:

ἀλλ' ἐπαποδνώμεθ', ἄνδρες, τουτῶι τῷ πράγματι,

¹⁾ Adalb. v. Keller, Deutsche Fastnachtspiele aus dem 15. Jahrh., II, p. 264.

quibus verbis respondent verba feminarum eodem consilio prolata
v. 637:

ἀλλὰ θώμεσθ', ὡ φίλαι γράες, ταδί πρῶτον χαμαί,

et v. 662:

*ἀλλὰ τὴν ἔξωμιθ' ἐκδνώμεθ', ὡς τὸν ἄνδρα δεῖ
ἀνδρὸς ὕζειν ἐνθάς.*

quibus verbis respondent verba feminarum v. 686:

*ἀλλὰ χῆμέϊς, ὡ γυναῖκες, θάττον ἐκδνώμεθα,
ὡς ἂν ἕξωμεν γυναικῶν, ἀντοδάξ ὀργισμένον;*

tertium locum legimus in Thesmophoriazosis v. 655:

*ἡμᾶς τοίνυν μετὰ τοῦτ' ἤδη τὰς λαμπάδας ἀψαμένας χερῖ,
ἕξωσαμένας εὔ κἀνδρείους τῶν θ' ἱματίων ἀποδίσσας
ζητεῖν, εἰ που κάλλος τις ἀνῆρ κτλ.*

Utrum voluerit illo Lysistratae loco Aristophanes veram ac genuinam parabasis scribere annon, in ancipiti est positum. Certe Thesmophoriazuserum exemplum docet illud ἀποδῦναι etiam extra parabasis occurrere, id quod Zielinski praecise negat. Qua re suspicor Acharnensium quoque locum v. 627:

ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίομεν

ad impedimenta abiicienda pertinere. Ac rursus iam figuras in vasis depictas contemplari iuvat: in vasculo Berolinensi no. 1830 videmus intrantes quosdam immanibus palliis indutos, in vasculo musei Britannici ἀποδύντας choreutas saltantes, neque cuiquam dubium erit, quin ii, qui equorum partes sustinebant, si re vera in scena manebant, nonnunquam personas deposuerint.

Itaque neque quod poeta spectatores alloquitur, neque quod choreutae impedimenta vel vestimenta deponunt, epilogi color efficitur. Quanti momenti sint epirrhemata scoptica Kaibel l. c. docuit, atque etiam graviorem locum parabasis habere censebis, cum observaveris comici poetae officium summum, quod Aristophanes dicit

ἰάσασθαι νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐτετοκοῦσαν,

ita exerceri, ut parabasis alium plerumque ac tota comoedia morbum publicum increpandum sibi sumat.

Accedit quod et Aristophanes et Athenienses longe abfuerunt,

ut eam levi momento aestimarent, cuius rei argumentum ducimus ex prima Ranarum hypothese in qua haec adnotantur: *Ὅντω δὲ ἐθανμάσθη τὸ δράμα διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὡς φησὶν Λικαίταρχος*. Quae verba non modo ita interpretanda sunt, quasi quia parabasis ea sine dubio praecipue pulchra est, Athenienses eam comoediam adamassent, — iam in hypothese, quae Thomae Magistri fertur, additur: *καθ' ἣν (παράβασιν) διαλλάττει τοὺς ἐντίμους τοῖς ἀτίμοις καὶ τοὺς πολίτας τοῖς φυγάσιον* —, sed verba διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν etiam eum in se sensum habent: quia omnino parabasis in ea comoedia inerat. Aristophanes, cum in depravationem artis tragicae increpitarer, idem in comoedia sua ad illum antiquum usum revertit *χρηστὰ τῇ πόλει συμπαραίνειν καὶ διδάσκειν*, quem ita se instaurare sibi conscius fuit, ut parabasim scriberet, quam Athenienses iamiam desiderare coeperant. Atticae enim, Dionysiae, choricæ comoediae maxime propriam esse parabasim cum illis persuasum esset, poetam summo honore affecerunt. Ne nos parabasim ex loco suo deiciamus.

Vox vero *παραβαίνειν* ipsa mihi manifestior, ut ita dicam, facta est iis, quae Doerpfeldt (A. Mueller, Bühnenaltertümer p. 415) et Wilamowitz (Hermes XXI, p. 597) de theatro Dionysio exposuerunt. *Παραβαίνειν* vox significat chorum, postquam in parodo actoribus immixtus partes suas egit, iamiam in orchestram transire, ut proprium suae artis specimen det et vellicandi spectatores usum exerceat. Hinc melius intelligemus schol. Aristoph. Equ. 508: *λέγεται δὲ παράβασις ἥτοι ἐπειδὴ ἀπῆκται τῆς ἄλλης ὑποθέσεως ἢ ἐπειδὴ παραβαίνει ὁ χορὸς τὸν τόπον*. Ἐστᾶσι μὲν γὰρ κατὰ στοῖχον, πρὸς τὴν ὀρχήστραν ἀποβλέποντες· ὅταν δὲ παραβῶσιν, ἐφεξῆς ἐστῶντες καὶ πρὸς τοὺς θεατὰς βλέποντες τὸν λόγον ποιῶνται. Post verba *πρὸς τὴν ὀρχήστραν* Mueller, (Bühnenaltertümer p. 214 adn. 3) addit »gleich *λογεῖον*«. At minime iam ea opus est coniectura; chorus enim ante parabasim in actorum scena versatus ad orchestram re vera spectat, utriusque confinium iamiam transiturus. Hic igitur locus illis adnumerandus est testimoniiis, ex quibus colligi potest Aristophanis temporibus logeion altius orchestra non fuisse exstructum. Vox vero *παραβαίνειν* iis temporibus

in usum mihi videtur venisse, quibus iam parodus artificiose composita a poetis inveniri coepta est, vel iis ut aliter dicam temporibus, quibus comoedia Attica ad eam artem perducta est, ut elementum dramaticum et elementum choricum in parodo ad communem actionem coalescerent. Simulac parabasis *χομμάτιον* decantatum est, chorus antiquum suum ius adipiscitur.

Th. Zielinski cum in disquirenda comoediae Atticae compositione magnam doctrinam ed diligentiam collocaret, illud tenebat comoediae antiquissimae vestigia delitescere in formis quas dicit canonicis. Qua adductus opinione exodum Aristophaneam, rem ratus eam nullius momenti, quippe quae certis formis careret, leviter tantum et in transcurso tractavit, qua in re veri species ei adfuit eo magis, quod paullo antea parabasim initio epilogum fuisse comoediae demonstrare conatus erat. Si probanda esset Zielinskii sententia, qua nihil nisi forma canonica, quam dicit, cuilibet parti comoediae Aristophaneae aliquam vestutatem vindicat ac comoediae originali eam attribuit statim in eandem sententiam nobis eundum esset. Sed formulas hereditarias, quas ex agone Zielinski enucleavit, maxima ex parte arbitrabimur esse formas ab Aristophane inventas et identidem usurpatas, ut saepe fit in poetarum et artificum operibus. De exodo vero, quae tali forma caret, haec erit nostra ratiocinatio. Cum parabasis nihil habeat, quod epilogi proprium sit, ea potius choricæ comoediae pars gravissima sit, atque cum ex rerum natura sit chorum, qui spectatores vellicaturus intraverat, cum aliquo earmine colore Dionysio tincto et fortasse antiquitus tradito — ea vera *χομῳδία* — ex consensu se recipere, ego id exodi Aristophaneae genus antiquius ducam, quo chorus saltatione se abdicat, sed exeuntem sese carmina popularia cantaturum esse promittit, quod genus exstat in Acharnensibus, fortasse in Equitibus quam mutilam esse comoediam inter homines doctos convenit¹⁾ in Nubibus, etsi carmina non verbis expressis promittuntur, in Thesmophoriazasis, fortasse in Ranis, in Pluto. Alterum genus, quod idem haud ita recenti

¹⁾ cf. A. Kirchhoff, Hermes XIII, p. 294 adn. 1.

aetate scribi sit coeptum, est earum, quae a poeta comico ad lyricorum exemplaria artificiose compositae sunt, ea scilicet ratione, ut quae decantantur ad universam fabulam quodammodo applicentur. Quarum exempla in Vespis, in Pace, in Avibus, in Lysistrata, in Ecclesiazusis exstant.

Nimia ego audeam, si ex Cratini fr. 276 *τοὺς ἐξοδίους ὑμῶν ἴν' ἀλλῶ τοὺς νόμους* concludere velim exodi compositionem vel rem musicam fuisse certam quandam. Sed antiquissimum, quantum Aristophanes ipse meminerat, comico choro constitisse usum cum carmine exeundi ex Vesparum exodo elucet, dum recte intellegantur verba vv. 1535 sqq:

*ἀλλ' ἐξάγετ' εἴ τι φιλεῖτ' ὀρχούμενοι θύραζε
ὑμᾶς ταχὺ· τοῦτο γὰρ οὐδεὶς πω πάρος δέδρακεν
ὀρχούμενον ὅστις ἀπῆλλαξεν χορὸν τρυγηθῶν.*

Adnotat scholiasta: *εἰσέρχεται ὁ χορὸς ὀρχούμενος οὐδαμῶς δὲ ἐξέρχεται*. Sed parum intellexit scholiasta, quid mente poeta opponi velit. Non verbo *ἀπῆλλαξεν* opponendum erat *εἰσέρχεται*, sed verbo *ὀρχούμενον* opponendum erat *ἄδοντα*. Quod enim novi Aristophanes in ea exodo ausus est, id erat, quod chorum saltibus ridiculissimis, ad quos cantare nimis difficile erat, ex orchestra sese recipientem fecit, verbis illis nobis testatus sese antea semper vidisse choreutas exire cantantes. Et in Nubibus igitur et in Thesmophoriazusion id silentio addendum esse mihi videtur, quod in Pluto a poeta additur: *θεῖ γὰρ κατόπιν τούτων ἄδοντας ἔπεσθαι*.

Quibus de causis quaestionem paucis complexi dicemus comoediam Atticam antiquitus solitam esse finiri como ad tibias cantato, ac Wilamowitzio (Homer. Untersuchungen p. 248) assensi si iudicabimus »unsere ältesten Komödien lassen ihre Entstehung aus *κῶμοι* 1) noch deutlich erkennen«, exodum quoque spectabimus.

Quod denique Zielinski comoediae Aristophaneae partes ita definit atque circumscibit, ut ultimum episodium actorum cum exodio

1) In titulo vero C. J. A. II 977 verbum *κῶμοι* vertendum esse „komische Chöre“ minime mihi persuadebitur.

chorico coniunctum appellet exodum, hanc velim rem in eam restitui perspicuitatem, in qua collacata est ab Aschersonio, qui (Jahrb. für klass. Philol. IV. Suppl. 3. Heft, 1862, p. 423 sqq.) docuit iam ab antiquis grammaticis exodum comoediae ultimum choricum dictum esse. Etsi perbreve episodium ultimum Avium vv. 1706—1719 secundum eam rationem erit, tamen in id vitium non incidemus ut nimiam partem — exempli causa profero Pacis ultimum episodium vv. 1191—1304, quod ad totum drama magni est ponderis — exodo adscribamus. Quare, si comum exodicum dicere mihi licet chori exodion, tabulam a Zielinskio p. 213 compositam huncce in modum amplificari velim:

Acharn.	1174—1227	episodium IV; 1228 —	comos exodicus,
Nub.	1453—1509	episodium II; 1510 —	comos exodicus,
Vesp.	1474—1515	episodium III; 1516—1537	com. exod.
			Mera saltatio sequitur.,
Pax.	1191—1304	episodium I (vel »Zwischenscene« V);	
		1304—1357	com. exod.,
Aves.	1706—1719	episodium III; 1720—1765	com. exod.,
Lysistr.	1216—1246	episodium IV; 1247 —	comos exodicus,
Thesm.	1160—1225	episodium III; 1226 —	comos exodicus,
Eccles.	1112—1150	episodium IV; 1151—1182	com. exod.,
Plut.	1171—1207	episodium VI; 1208 —	comos exodicus.

Ceterum nonnulla eorum episodiorum dici poterunt »Zwischenscenen« secundum rationem, quam invenit Zielinski (l. c. p. 194 Abs. 3).

3.

Postquam antiquissimum quoddam elementum dramaticum, humiliter ioculare, ex Aristophanis quae exstant fabulis eruere conatus sum et quid de parabasis et exodi vestutate arbitrer ostendi, iamiam mihi liceat quam brevissime exponere, quemadmodum comoedia Attica mihi cepisse videatur prima incrementa.

Scenam ludicram quam contemplati sumus, etsi ab aliis ludis absoluta nonnunquam exercetur, tamen plerumque ita adhiberi,

ut inter singulas partes alius actionis tamquam interludium, quod Itali *intermezzo* dicunt, inseratur, nemo non observaverit. Comoediae popularis exemplum illud suum inter ludos artificum circensium peregrinantium interpositum fuisse adnotat R. M. Werner (l. c. *Einleitung* p. 13) atque illud, quod ego describere ausus sum, inter singulos ludos musicorum in eodem foro concinentium identidem agi vidi. Arlequinada in Britannicorum pantomimo, qui *Christmas-Pantomime* dicitur, interludii vice fungitur et ante pauca decennia in theatro Berolinensi inter actus singulos fabellas puparum apparatu actas, in quibus res quae studium publicum movebant ad risum detorquebantur, interponi solitas esse narrat Engel (*Deutsche Puppenkomödie*, II, p. VIII). Ut Arlequino in Italicorum comoedia, sic Clown, quem dicunt, in Britannicorum, Gracioso in Hispanicorum comoedia, priusquam partes eorum cum universo dramate coaluerunt, interludia agebant eandemque in partem illae scenae accipiendae sunt, quas a Stranitzkio compositas R. M. Werner edidit. In Hispanicorum theatro talia interludia integra praeter fabulas excultiores, quae ex iis ortae sunt, permanserunt nomine *Entremésés*, in quibus componendis saepissime quotlibet deinceps personas ridiculas poetae inducunt.

Zielinski (l. c. p. 185) praeter minus graves causas, ex quibus parabasim putat esse epilogum comoediae originalis, praecipue illam profert, quia tetrametricae comoediae partes ante parabasim, trimetricae post parabasim plerumque inveniuntur. Nimirum trimetro iambico scenae illae scurriles compositae sunt, quibus post parabasim illustratur quo valeant ea quae a protagonista in priore fabulae parte peracta sunt. Causas, vero, quas supra protuli, quia eae partes comoediae primitivae omnium gentium exhibent speciem, tum quia in Aristophane non nisi ex antiquiorum poetarum exemplis excusationem habent, quia denique, si recte illum Anonymi locum interpretatus sum, eam rationem ex Cratini antiquissimis comoediis derivandam esse traditur, eas causas postquam apud animum perpendi, adduci non possum, ut illas partes quia trimetro iambico compositae sunt, recentiore aetate ortas, quam partes tetrametricas, parodum, agonem, ducam. Ludorum illorum scurrilium, qui in se

dialogi dramatici habent stirpem ac semen, id proprium est, quod initio sermone prosario compositi sunt. Tum eo procedunt ut quae agenda sint, a poeta describantur¹⁾, singula autem actoribus, praecipue protagonistae invenienda restent, id quod Italorum commedia dell' arte docet. Cum de comoedia Attica antiqua agitur, id tantum quaerendum est, quo tempore a sermone prosario actorum dialogus ad illud *μέτρον διαλεκτικώτατον* progressus sit, cui quaestioni nunquam responderi poterit.

Quae si tenes ac si cantationes et saltationes chori antiquissimas, parabasis, parabasis alteram, stasima scoptica, exodum denique sumis esse tamquam partes poematis chorici, ut Germanicis verbis utar, »Abschnitte eines Tanzpoems,« illae partes scurriles praestant interludia inter chori ludos interposita eam ut habeas rationem, quam supra in aliarum gentium poesi comica contemplati sumus. Parabases igitur et stasima scoptica non sunt interludia,²⁾ sed actorum est actiones chori Dionysii suis interludiis interrumpere ac comoediae originalis vestigia non ante parabasis, sed inde a parabasis initio comoediae Aristophaneae impressa sunt.

Quae cum opposuerim Zielinskii opinioni, redii ad eam ima-

¹⁾ Magnes, etsi docendi causa comoedias perscripsit, tamen credo nunquam libris mandatas in lucem edidit. Grammaticos spurias tantum quasdam fabulas manibus tenuisse testatur Anonymus III (Duebner). Quin etiam verba Aristophanis Equ. 521 *ὅς πλείστα χορῶν τῶν ἀντιπάλων νίκης ἔστησε τροπαῖα* mihi non mera periphrasis videntur esse, sed ex iis colligere audeo etiam circa annum 424 a. Chr. nihil nisi monumenta choregica ad Magnetem pertinentia reliqua fuisse. Philologorum et antiquorum et recentiorum error originem mihi videtur traxisse ab eo, quod Aristot. Poet. 1449a 37, minore verborum subtilitate usus dicit: *Ἦδη δὲ σχήματά τινα αὐτῆς ἐχούσης οἱ λεγόμενοι αὐτῆς ποιηταὶ μνημονεύονται*, ex quibus verbis facile colligeres eum Magnetis et Chionidis comoedias manibus tenuisse. Nunquam eum illa *σχήματα* legisse neque id dicere voluisse illis verbis mihi est persuasum.

²⁾ Agthe in libello, qui inscribitur „Die Parabase und die Zwischenakte der alt-attischen Komödie“ praecipue eam adhibuit et probare conatus est appellationem, quae repetenda videtur esse a Platonii definitione, qui parabasis interponi dicit *ὡς ἂν μὴ τὸ θέατρον ἢ κενὸν καὶ ὁ δῆμος ἀργὸς καθέστηκεται*.

ginem comoediae originalis, quam adumbravit iam Kannegiesser in libro, qui inscribitur »Die alte komische Bühne in Athen« (cf. p. 75) quamque quodammodo secutus est Godofredus Hermann in commentatione, quam de Meinekii editione fragmentorum comicorum conscripsit. Sed paullo clarius, si hoc dictu fas est, ex nostra contemplatione scenae scurrilis post parabasim sitae perspicietur ille locus lexicographorum, in quo interpretando G. Hermanni ea commentatio versatur. Priusquam ad eum retractandum accedamus pauca praefari ex re erit.

Ἀτάξια comoediae primigenae, episodium ad episodium asserendi ratio, maxime opposita est novae comoediae rationi fabulam artificiose contorquendi et resolvendi. In Aristophanis, quae supersunt, fabulis artem comicam ad illam artificiosiore complexionem progredi videmus. Equites, Nubes, Lysistrata, Thesmophoriazusae fabulam aliquatenus politam exhibent, Vespae et Ranae in binas partes divisae sunt obiter tantum connexas, Acharnensium vero, Pacis, Avium, Ecclesiazusarum, Pluti id est proprium, quod prior pars fabulam satis excultam habet, quae in altera parte non tenetur, quia poetae interest quid utile ducat rei publicae spectatoribus demonstrare. His in fabulis Aristophanes ad eam artem processit, ut expositionem, quam dicimus, perficiat, neglegat cetera. Atque eandem componendi fabulas rationem in Cratino sese Platonius invenisse testatur: *εὔστοχος δὲ ὢν ἐν ταῖς ἐπιβολαῖς τῶν δραμάτων καὶ διασκευαῖς* — scilicet ante parabasim — *εἶτα προῖόν καὶ διασπῶν τὰς ὑποθέσεις ὄνκ ἀκολούθως πληροῖ τὰ δράματα* — scilicet post parabasim.

Iamiam illum locum lexicographorum contemplemur. Exstat apud Suidam: *ἐπεισόδιον τὸ εἰς τὰ δράματα εἰσαγόμενον κατὰ προσθήκην καὶ αἴξην τοῦ δράματος* et paullo infra: *ἐπεισόδιον τὸ εἰσφερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν ἔξω τῆς ὑποθέσεως ὄν· καταχρηστικῶς δὲ τὸ ἐξαγώνιον ἅπαν πρᾶγμα*. Eadem leguntur in Bekkeri Anecd. p. 253, 19. Simillima in Etym. M. p. 356: *ἐπεισόδιον κυρίως μὲν τὸ ἐν κωμῳδίᾳ ἐπιφερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν ἔξω τῆς ὑποθέσεως*. G. Hermann (Jen. Lttztg. 1842, no. 122), cum docere velit in comoedia originali parabasi et actorum ludo interludium aliquod interpositum fuisse,

illis verbis significari dicit: »wie in den Acharnern, den Rittern, den Vögeln, dem Frieden, den Fröschen zum Inhalte der Stücke nicht gehörige Lieder«. Paulo rectius Bernhardy (Littgesch. II, 2 p. 611) ad ludos actorum ea verba spectare ratus exempli causa profert: »Das Einschiesel der beiden in den Wolken sich be-
streitenden λόγοι; sed id quoque is qui, quae de agone Zielinski exposuit, perlegerit, vix credit. Neumann (Die formale Gliederung der alt-attischen Komödie p. 2) dicens »zunächst nichts anderes als eine dem Vortrage des Chors beigegebene Einlage« haud male rem perspexit, sed postea verbis »Kämpfe der Epeisodien« a vero se aberravisse patefacit. Rationem, qua res intelligi potest, indicavit Meineke (Hr. com. II, p. 757), cum de Metagenis fragmento

κατ' ἐπεισόδιον μεταβάλλω τὸν λόγον ὡς ἂν

καιναῖσι παρουσίσι καὶ πολλαῖς ἐνοχῆσι τὸ θέατρον

dissertans haecce adnotet: »Facile quis in eam delabi possit sententiam, ut parabasim in his verbis describi in animum inducat; sed accuratius qui verba contemplatus erit, episodium sive epigramma quoddam quasi exodium fabulae fuisse intelliget, non alio nisi risus captandi consilio fabulae adiectum, neque necessario cum reliqua actione vinculo coniunctum. Atque hinc est quod Metagenes argumentum fabulae, τὸν λόγον, se mutare dicit in episodio.« Quamquam contra ea G. Hermann profert exodia apud Graecos non usitata fuisse et in Metagenis fragmento actum comoediae dici, sicut tragoediae, tamen Meineke extra communem sensum aliquid investigans in verbo ἐπεισόδιον optimam rationem secutus est.

Verba intueamur γέλωτος χάριν, in quibus, cum de comoedia agatur, sine dubio peculiare quiddam positum est, et mente repetamus, quae supra de loco Anonymi καὶ γὰρ οἱ πρότον ἐν Ἀττικῇ κτλ. adnotavimus. Πρόσωπα ἄτακτα, in quibus γέλωτος ἦν μόνον τὸ κατασκευαζόμενον, et personas scurriles ab Aristophane plerumque post parabasim inductas inter se cohaerere iudicavimus. Ad idem spectant verba ἐπεισόδιον τὸ ἐν κομιχιδίᾳ ἐπιφερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν. Verba vero ἔξω τῆς ἰποθέσεως et κατὰ προσθήκην καὶ ἀνῆξιν τοῦ δράματος significant episodica plerumque post argumentum artificiose excultum

induci. Quare, etsi inductio Euripidis in Acharnensium priore parte tale *ἐπεισόδιον* erit, tamen plerumque verba *ἔξω τῆς ἰσοθέσεως* recte interpretabitur, qui idem iis significari dixerit ac si legertur: post parabasim. Vix vero ego dubitem, quin Metagenis verbis

κατ' ἐπεισόδιον μεταβάλλω τὸν λόγον ὡς ἂν

καιναῖσι παροψίσι καὶ πολλαῖς εὐωχῆσω τὸ θέατρον,

quae ex parabasi petita sunt, se illa fabulas componendi ratione uti dicat; *κατ' ἐπεισόδιον* i. e.: eo loco, quo comoedia mea episodica esse incipit, *μεταβάλλω τὸν λόγον* i. e.: argumentum antea excultum omitto, *ὡς ἂν καιναῖσι παροψίσι καὶ πολλαῖς κτλ*, ut varias personas inducam.

Id igitur, quod Zielinskii diligentia et acumine denuo docti sumus, comoediam Aristophaneam plerumque alteram partem episodiam exhibere, iam veteri nescio cui grammatico constabat, cuius ex quaestionibus illud glossema nobis reliquum est. Idem fortasse grammaticus, Aristotelis doctrina omissa, non primum, alterum, tertium actorem e choro progressum esse censebat, sed multitudinem personarum scurrilium ad tres redactam esse ex forma comoediae Cratineae effecerat. Cum idem, si quid video, vir doctus ex initio comoediam humiliter ioculari sermone prosario compositam fuisse coniecisset, compilerator aliquis in illis spuris Susarionis versibus *ἀκούετε λέως κτλ*, comoediae metricae initium invenire sibi visus de Susarione adnotavit: *τῆς ἐμμέτρον κωμωδίας ἐγένετο ἀρχηγός.*

Ac optimo iure ille auctor, qui de comoedia librum composuerat, doctrinam Aristotelis abiecit, qui vir divinus in cap. V. libri de arte poetica comoediam Atticam ita crevisse se arbitrari ostendit, ut ab stirpe per analogiam tragoediae augetur: *τίς δὲ πρόσωπα*, inquit, *ἀπέδωκεν, ἢ προλόγους, ἢ πλῆθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα ἡγνόνται.* Ipse vero ille posterioris aetatis auctor, quamquam eam analogiam abiecit, tamen scribens: *καὶ γὰρ οἱ πρῶτον ἐν Ἀττικῇ συστησάμενοι τὸ ἐπιτήδευμα τῆς κωμωδίας κτλ*, se pure Atticam ducere comoediam antiquam profitetur. Ad Dorica autem oppida mihi illa scena iocularis spectare videtur. Personas enim typicas, ad quas ea ratio dramatica adhaerere solet, apud Megarenses in usu fuisse, Maesonis, Mylli nomina nobis tradita docent; quomodo eiusmodi personae in alia oppida trans-

ferri soleant, exemplo illustratur Pulcinellae Neapolitani (cf. Riccoboni, *Histoire du théâtre italien*, tom. I, p. 56); atque Siciliam patriam ludionum peregrinantium fuisse in Xenophontis *Convivio* legimus (c. I 2); adiice denique quod Lacedaemone ludum antiquissimum, qui exhibebat duas personas typicas,¹⁾ cultum esse, tradit Sosibius apud Athenaeum (XIV 621 d—e.). Quibus de causis Zielinski, cum ad episodiam comoediae Atticae partem Doriensium valuisse comoediam coniiceret, ad rectam viam digitum intendit (*Gliederung* p. 244). Non vero de Dorica comoedia episodice perfecta et in Atticam translata nobis est cogitandum, sed in altera parte comoediarum quarundam Aristophanis chorum Atticum, quem iam multo ante annum 500 a. Chr. picturis testibus perfectum vidimus, cum scena ioculari Dorica coniunctum invenimus.

¹⁾ Cecil Smith (l. c. p. 314): „Curiously enough, inquit, the Lacedaemonian mimi would seem to have had the same two favourite characters which still delight Christmas audiences the fruit-stealer and the quack doctor“ (cf. *Usener Rh. M.* 28, 1873, p. 425). *Punch* qui dicitur Britannicorum cum Franco-gallorum persona Polichinelle et Pulcinella Italicorum cohaerere putatur, quae ad Atellanam Romanorum refertur (Munk, *De fabulis Atellanis* p. 28 sqq.) Ac Wilamowitz (*Eur. Heracl.* I p. 53) illud vocat in quaestionem nonne potius commedia quae dicitur dell' arte ab Italis ad Dorienses Siciliam incolentes transierit. Licetne connexum suspicari inter ludos Lacedaemoniorum a Sosibio descriptos et recentiorum populorum personas ab Atellana repetendas? Quod si ita est, ad illam Wilamowitzii quaestionem est respondendum etiam eam artem a Graecis ad Italos transiisse. An potius uterque populus suum sibi ludum excoluit? (cf. Mommsen, *Röm. Gesch.* II, p. 438.)

Sententiae controversae.

- I. Ex Aristophanis Pace vv. 962—967 (Bergk) elucet feminas in theatro non adfuisse.
- II. Inscriptionis Epidauricae (*Εφημ. ἀρχαιολογ.* 1886, p. 153) versum 104 exuntem et versum 105 ineuntem sic suppleo: *Θεοδότω ἀρχιτέκτονι.*
- III. Ad significationem verbi *κῆμοι* in titulo C. J. A. II, 977 illustrandam verba adhibenda sunt Eurip. Hel. 1469: *κῆμοις Ὑακίνθου* i. e. Hyacinthiis.
- IV. Sicut Aristophanes scenas aliam alii inconcinne asserit, atque sicut artifices antiquissimi in componendis statuis minime symplegma artificiosum invenire student, ita Homerus quoque carminis epici singulas partes incondite conglutinavit.



V i t a.

Mathias Josephus Poppelreuter natus sum die XX. mensis Augusti a. h. s. LXVII patre Antonio, matre Catharina e gente Hallerbach in parvo provinciae Rhenanae vico, cui nomen est Laach, quique situs est prope Altenahr. Fidem profiteor catholicam.

Literarum elementis imbutus sum in schola parochiali Maischosensi, artibus liberalibus instructus sum ab optimis praeceptoribus, quorum memoriam semper pio colam animo, in gymnasio Frider.-Guil. Coloniensi, quod Jaegero directore adhuc floret. Vere anni h. s. LXXXVI Almam Universitatem Berolinensem adii et in numero civium eius fui usque ad exeuntem aetatem anni h. s. LXXXXI. Docuerunt me viri clarissimi Bresslau, Curtius, Diels, Furtwaengler, Geiger, de Gizycki, Graef, Grimm, Hirschfeld, Huebner, Kekulé, Kirchhoff, Lenz, Paulsen, Puchstein, Robert, Roediger, Rothstein, Scherer, Johannes Schmidt, Schroeder, Vahlen, Zeller. Collegiis privatissimis me admiserunt, Curtius, Furtwaengler, Graef, Grimm, Huebner, Kirchhoff, Robert, Rothstein, Vahlen.

Horum omnium virorum grato animo dum vivam meminero, praecipue vero gratias ago Carolo Robert, qui me hortatus est, ut de comoediae Atticae primordiis quaestiones instituerem et Adolpho Kirchhoff qui me in perficienda dissertatione summa benignitate adjuvit.

